CONCILIA
PROVINCIÆ QUEBECENSIS

CONCILIA
PROVINCIÆ QUEBECENSIS

I, II, III, IV

IN QUEBECENSI CIVITATE

CELEBRATA

ET

A SANCTA SEDE REVISA ET RECOGNITA.

Evêché d'Ottawa

QUEBECI
APUD P.-G. DELISLE, TYPOGRAPHUM
1 PORT DAUPHIN
1870

MONITUM

Hæc collectio quatuor priorum Conciliorum Provinciæ Quebecensis, jussu Rmi Archiepiscopi, ac Rmorum Episcoporum ejusdem Provinciæ facta atque edita fuit.

Imprimatur

✠ C.-F. ARCHIEPPUS QUEBEC.

DECRETA

PRIMI CONCILII

PROVINCIÆ QUEBECENSIS

IN

CIVITATE QUEBECENSI

CELEBRATI

A SANCTA SEDE REVISA ET RECOGNITA ANNO
PONTIFICATUS PII PAPÆ NONI VI
DOMINI MDCCCLI

QUEBECI
1852

DECRETA
PRIMI CONCILII
PROVINCIÆ QUEBECENSIS
ANNO MDCCCLI
CELEBRATI

PRÆSIDE ILLUSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO

ARCHIEPISCOPO QUEBECENSI.

LITTERÆ DE INDICENDO ET CONVOCANDO

Provinciæ Quebecensis Primo Concilio.

PETRUS-FLAVIANUS TURGEON

MISERATIONE DIVINA ET SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ GRATIA ARCHIEPISCOPUS QUEBECENSIS, &c., &c.

Reverendissimis Provinciæ nostræ et Halifaxensis, Carolinopolitanensis, Neo-Brunopolitanensis et Arichatensis Diœcesium Episcopis, nostro eorumdemque clero et populo, salutem in Domino.

Cum Sanctæ Sedi Apostolicæ visum sit, bulla die 12a mensis julii, anno 1844 data, in provinciam metropolitanam erigere et constituere Quebecensem, Marianopolitanensem, Regiopolitanensem, Torontinam Diœceses, sub denominatione Provinciæ Metropolitanæ Quebecensis, cujus Metropolis est Quebecensis Ecclesia ; et cum postea eidem auctoritati placuerit Terræ-Novæ et Districtus *Nord-Ouest* Diœceses, bulla data die 4a junii A. D. 1847, eodemque anno Bypolitanam Diœcesim, bulla

data die 27 junii dictæ Provinciæ unire ; cumque supra-citata bulla, data die 12a julii anno 1844, Carolinopolitanensis, Neo-Brunopolitanensis, Halifaxensis Episcopi, necnon et Arichatensis Episcopus (cujus diœcesis ex parte diœcesis Halifaxensis constituta est), quando Provinciale Concilium Quebecense celebrari contingat, juxta Conciiii Tridentini præscriptionem ad illud teneantur accedere ; cumque secundum ejusdem Sancti Concilii præscriptionem, supradictæ Provinciæ metropolitani muneris sit tam suffraganeos quam adjunctarum diœcesium episcopos in Synodum vel Concilium Provinciale convocare, ut cum ipso, sub Sancti Spiritus præsidio, de omnibus his quæ spectant ad reprimendos abusus, ad reformandos mores, ad augendum religionis honorem suis in diœcesibus secundum canones statuant ;

Perpendentes nobis, etsi nondum Sacro Pallio decoratis, concessam tamen fuisse, Sanctæ Sedis indulto die 7a martii 1847 dato, auctoritatem exercendi, eveniente Illustrissimi Antecessoris nostri decessu, quascumque functiones metropolitanas ipse exercere poterat, dum nobis prædictum Sanctum Pallium concederetur ;

Nos quantum in nobis est, hac in parte, officii nostri muneri satisfacere cupientes, re mature perpensa, et sacro Dei nomine invocato, Synodum seu Concilium Provinciale in civitate nostra Quebecensi ecclesiaque nostra metropolitana indicere et convocare decrevimus, illudque, in dicta nostra ecclesia, ad diem decimam quintam mensis augusti præsentis anni, festo Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis incipiendum et postea usque in finem prosequendum, per præsentes indicimus atque convocamus.

Quocirca Reverendissimos in Christo ac Venerabiles Fratres Marianopolitanensem, Regiopolitanensem, Torontinum, Terræ-Novæ, Districtus *Nord-Ouest* et Bypo-

litanum Episcopos nostros com provinciales, necnon Carolinopolitanensem, Neo-Brunopolitanensem seu Novi-Brunswikii, Halifaxensem et Arichatensem Episcopos, dictæ Provinciæ Metropolitanæ a Sancta Sede adjunctos, eorumdemque Coadjutores *cum futura successione*, ac alios quoscumque qui de jure vel privilegio Synodo seu Concilio Provinciali interesse debent, enixe hortamur et invitamus, et, in quantum necesse est, auctoritate nostra archiepiscopali et ordinaria requirimus et admonemus, eisque, virtute sanctæ obedientiæ, districte præcipimus ut ad dictum Synodum seu Concilium Provinciale celebrandum conveniant et personaliter compareant, nisi forte justo detenti impedimento, a procuratoribus ab eis legitime electis in hoc Concilio suppleantur ; et quoscumque suarum respective diœcesium ecclesiasticos, qui de jure vel privilegio interesse debent, ad illud quoque convenire et comparere faciant.

Datum Quebeci, in ædibus nostris archiepiscopalibus, sub signo sigilloque nostris, ac Secretarii nostri chirographo, in Epiphania Domini, anno millesimo octingentesimo quinquagesimo primo.

✠ P.-F. ARCHIEPPUS QUEBECENSIS,

L. ✠ S. *De Mandato Illustrissimi ac Reverendissimi DD. Quebecensis Archiepiscopi,*

EDMUNDUS LANGEVIN, Pter.
Secretarius.

DECRETA

PRIMI CONCILII PROVINCIALIS QUEBECENSIS.

DECRETUM I.

De aperienda Synodo.

In nomine Sanctissimæ et Individuæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Nos, Petrus Flavianus Turgeon, Ecclesiæ Metropolitanæ Quebecensis Archiepiscopus, ad laudem et gloriam Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi unigeniti Filii Dei, Patri consubstantialis, qui, pro nobis caro factus, unus est Dei et hominum mediator, et auctor salutis nostræ; sub tutela et præsidio Matris ejus B. Mariæ Virginis, sancti Petri apostolorum principis, Sanctorum quorum patrocinio nostræ ecclesiæ cathedrales et diœceses muniuntur, atque omnium Sanctorum, statuimus ac decernimus, de consilio ac consensu Rmorum Episcoporum nostrorum comprovincialium, hac ipsa die decima quinta augusti inchoari, atque adeo inchoatum esse Concilium Provinciale, quod nostra metropolitana auctoritate indiximus et convocavimus; Jesum Christum Dominum et Salvatorem nostrum humiliter deprecantes, ut quod cœpit ipse perficiat, ac quæcumque ad nostram clerique et populi ædificationem stabilienda recognovimus, ab omnibus et singulis, Deo adjuvante, observentur.

DECRETUM II.

De modo vivendi in Concilio.

Hæc Synodus provincialis, a B. Apostolo edocta quod omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, qui eis qui postulant a se sapientiam dat omnibus affluenter, statuit omnes Christifideles hujusce civitatis Quebecensis, quorum, sicut et totius provinciæ gratia celebratur, exhortandos esse, prout hortatur, ut se a peccatis hactenus commissis emendare, ac de cætero in timore Domini ambulare, piis operibus instare, ad sacramenta pœnitentiæ et eucharistiæ frequentius accedere, et quotidie pro Episcopis et Sacerdotibus hic legitime congregatis instanter orare velint; eosdem vero Episcopos et Sacerdotes, ut assidue incumbant in laudibus Dei, atque singulis diebus, in quantum fieri poterit, sanctissimum missæ sacrificium peragant, aut saltem mysteriorum celebrationi devote intersint, facientes obsecrationes, orationes et postulationes pro Ecclesia Sancta Dei, pro SSmo. Patre Nostro Pio Papa IX, pro Regina nostra, pro gubernatoribus et cæteris qui in sublimitate constituti sunt, et pro omnibus hominibus, ut tranquillam et quietam vitam agamus, pace fruamur, et fidei augmentum videamus. Præterea hortatur illos ut jejunent singulis sextis feriis, in memoriam Passionis Domini, omnibusque diebus mensa frugali utantur.

Et, quoniam oportet Episcopos irreprehensibiles esse, hortatur etiam illos et obsecratur in Domino, ut otiosas sermocinationes sedulo devitent, vitæ innocentia et integritate, fide, religione et pietate, omniumque virtutum ornamento præfulgeant, ita ut in omnibus honestatem præ se ferant, sicut decet ministros Dei mysteriorum.

Cum autem Synodi provincialis scopus est, ut sacra Conciliorum Summorumque Pontificum decreta renoventur et custodiantur, illos monet summopere ipsis curandum esse ut ea accurate referantur, adjectis quibusdam, si opus est, explicationibus ; ita tanem ut non recedatur unquam a mente Sanctæ Ecclesiæ Romanæ, ceterarum ecclesiarum matris ac magistræ.

In sententiis vero dicendis, nullus audeat aut immodicis verbis perstrepere, aut tumultibus perturbare, variisve et obstinatis disceptationibus contendere ; sed omnes ad gloriam Dei et animarum salutem unice conspirantes, cum modestia et animi lenitate, prout Spiritus Sanctus dabit eloqui, opportune, servato ordine, proferant opiniones, in actionibus tam privatis quam publicis ; ac ita, quidquid dixerint, miti verborum prolatione temperent, ut nec audientes offendantur, nec recta judicii acies perturbato animo inflectatur.

Insuper ipsa Synodus decernit ac declarat quod, si forte contigerit aliquos debito in loco non sedere, sive in sessionibus, sive in congregationibus, nulli propterea præjudicium generetur, nullique novum jus acquiratur (*Conc. Trid. Sess.* 16. 2). In qualicumque enim ordine quisque compareat et sedeat, jura illius salva esse vult Synodus.

Demum universis qui, jure vocati, ad hoc Concilium Provinciale convenerunt, in virtute sanctæ obedientiæ præcipit, ne antequam dimissum fuerit, discedere præsumant, nisi ob rationabilem causam, facultateque petita et obtenta a Patribus ; et insuper eos omnes hortatur, ut diurnum vivendi ordinem, in prima congregatione generali promulgatum et statutum, fideliter exsequantur.

DECRETUM III.

De professione fidei.

Cum fides initium sit et fundamentum salutis, atque inter omnes pastoralis officii sollicitudines, illa potissimum prima esse debeat, ut fides catholica, quam Sancta Romana Ecclesia tenet et colit, incorrupta in hac provincia integraque permaneat, et omnes illam puram illibatamque custodiant; nos in hac Synodo provinciali hinc præcipue exordium duximus, ut eamdem sanctam et catholicam fidem quam corde credimus una oris confessione profiteamur. Quocirca sacrosancti œcumenici Concilii Tridentini decretis inhærentes, professionem fidei a Pio IV. Pontifice Maximo præscriptam libenter et publice profitemur, eamque fideles edoceri statuimus.

Forma juramenti.

Ego N. firma fide credo, et profiteor omnia et singula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur: videlicet, Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem factorem cœli et terræ, visibilium omnium, et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine: et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum Scripturas. Et ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos; cujus regni

non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, et vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur, et conglorificatur : qui locutus est per Prophetas. Et in Unam Sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi. Amen. Apostolicas et Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes, et constitutiones firmissime admitto et amplector.

Item Sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto ; nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum, accipiam et interpretabor.

Profiteor quoque septem esse vere et proprie Sacramenta novæ legis, a Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria, scilicet : Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium ; illaque gratiam conferre ; et ex his Baptismum, Confirmationem, et Ordinem, sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in supradictorum solemni administratione, recipio et admitto ; omnia et singula quæ de peccato originali et de justificatione, in sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio.

Profiteor pariter, in Missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium sacrificium pro vivis et defunctis ; atque, in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem, una cum anima et divinitate Domini Nostri

Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia Transubstantiationem appellat.

Fateor etiam, sub altera tantum specie, totum atque integrum Christum, verumque sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari. Similiter et Sanctos una cum Christo regnantes venerandos, atque invocandos esse; eosque orationes Deo pro nobis offerre; atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissime assero imagines Christi, ac Deiparæ semper virginis necnon aliorum Sanctorum, habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam, Catholicam, et Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem et magistram agnosco; Romanoque Pontifici, beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo ac juro. Cætera item omnia a sacris canonibus et œcumenicis conciliis, ac præcipue a sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita. et declarata, indubitanter recipio atque profiteor; simulque contraria omnia, atque hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas, et rejectas, et anathematizatas, ego pariter damno, rejicio et anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, et veraciter teneo, eamdem integram et inviolatam, usque ad extremum vitæ spiritum, constantissime (Deo adjuvante) retinere, et confiteri, atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri,

doceri, et prædicari, quantum in me erit, curaturum Ego idem N. spondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia!

DECRETUM IV.

De obedientia Summo Pontifici.

Ut inter tot et tanta errorum pericula, non simus sicut parvuli fluctuantes, et non circumferamur omni vento doctrinæ, totis præcordiis amplectimur sanctam Ecclesiam Catholicam, quæ est columna et firmamentum veritatis, et contra quam portæ inferi non prævalebunt.

Et, quoniam Christus ipse super Petrum ejusque successores suam ædificavit Ecclesiam, profitemur, cum sancto œcumenico Concilio Florentino, Sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse Beati Petri, Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, et omnium christianorum patrem et doctorem existere, et ipsi in Beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino Nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis conciliorum œcumenicorum et in sacris canonibus continetur. Insuper agnoscentes cum sancto Irænco "*Romanam Ecclesiam eam esse ad quam oportet omnes Ecclesias convenire, propter potiorem ejus principalitatem*" (*contra hæres. lib.* 3. *cap.* 3.) et fidem Petri, "*qui in propria sede vivit et præsidet, et præstat quærentibus veritatem,*" (*S. Petri Chrysol. Epist. ad Eutych.*) nunquam defecisse, nec in finem defecturam esse ; in omnibus sequimur *Sedem Apostolicam in qua est integra et vera christianæ religionis perfecta soliditas,* (*Formul.*

Hormisd. Orientalibus.). Itaque toto animo adhæremus omnibus et singulis apostolicis constitutionibus dogmaticis, uti et illis quæ universalem Ecclesiæ disciplinam respiciunt; atque declaramus et docemus eas ab omnibus christifidelibus tenendas esse, velut credendorum normam et conscientiæ regulam independenter prorsus ab omni potestatis sæcularis sanctione.

Propterea sacerdotes et omnes fideles sæpius monitos volumus, ut omni quidem tempore, sed potissimum quando Ecclesia gravioribus quassatur tempestatibus, oculos convertant ad hanc Cathedram Petri, "*qui est petra et crepido Catholicæ Ecclesiæ, et rectæ Fidei fundamentum,*" (*Concil. Chalc.*) unde unitatis vigor per totum Ecclesiæ corpus diffunditur.

DECRETUM V.

De Breviario et Missali.

Juxta Constitutionem s. memoriæ Pii V, qui Breviaria et Missalia, in usum Ecclesiarum romani ritus, ad mentem Concilii Tridentini emendatius edendo, abolevit quæcumque alia vel antiquiora, vel quovis privilegio munita, vel ab Episcopis in suis diœcesibus pervulgata, nisi diœceses a bis centum saltem annis uti consuevissent breviario aut missali ab illis diverso; statuimus breviarium et missale romanum, jam olim in Ecclesia Quebecensi recepta, ab omnibus nostræ provinciæ Ecclesiis servanda, additis officiis jam concessis et postea concedendis a S. Sede pro hac provincia; salvis tamen religiosorum privilegiis. Hæc autem sunt officia quorum concessionem aut ritum altiorem a S. Sede hæc Synodus humiliter expostulat:

Desponsationis B. M. V. dupl. maj. Januarii 23.
S. Polycarpi, ep. et mart. dupl. " 26.

S. Ignatii, ep. et mart. dupl. Februarii 1.

Orationis D. N. J. C. dupl. maj. feria 3. post Dom. Septuagesimæ.

Commem. Passionis D. N. J. C. dupl. maj. feria 3. post Dom. Sexagesimæ.

SS. Spineæ Coronæ D. N. J. C. dupl. maj. feria 6. post Dom. Quinquagesimæ.

SS. Lanceæ et Clavorum D. N. J. C. dupl. maj. feria 6. post Dom. I. Quadragesimæ.

SS. Sindonis D. N. J. C. dupl. maj. feria 6. post Dom. II. Quadragesimæ.

SS. quinque Vulnerum D. N. J. C. dupl. maj. feria 6. post Dom. III. Quadragesimæ.

Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C. dupl. maj. feria 6. post Dom. IV. Quadragesimæ.

S. Patritii, ep. et conf. dupl. maj. Martii 17.

S. Joseph, sponsi B. M. V. dupl. 1 cl. " 19.

S. Joannis Nepomuceni, conf. dupl. Maii 22.

B. M. V. Auxiliatricis, dupl. maj. " 24.

S. Rochi, conf. dupl. Junii 17.

Purissimi Cordis B. M. V. dupl. maj. Dom. post octavam Assumptionis.

Maternitatis B. M. V. dupl. maj. Dom. II. Octobris.

Puritatis B. M. V. dupl. maj. Dom. III. Octobris.

Patrocinii B. M. V. dupl. maj. Dom. IV. Octobris.

S. Stanislai Kostkæ, conf. dupl. Novembris 16.

S. Thomæ Cantuariensis, ep. et mart. dupl. Decembris 29.

Officium SS. Sacramenti semid. omnibus feriis quintis; Officium Conceptionis B. M. V. semid. singulis sabbatis;	dummodo non sint impedita juxta decreta S. R. C. Martii 20. 1706., et 15. Martii 1804.

DECRETUM VI.

De rituali..

Quoniam summopere optandum ac curandum est, ut in nostra provincia ecclesiastica eadem liturgia servetur, quæ una sit cum romana liturgia, ut, juxta apostolum, idipsum dicamus omnes, et non sint in nobis schismata, sed simus omnes perfecti et in eadem sententia, idque non modo quoad fidei dogmata, sed etiam quoad ritus, preces et cœremonias tum in divino officio peragendo, tum in sacramentis administrandis servanda, Concilium decernit rituale romanum servandum esse in tota hac provincia, adjectis in appendice quæ ad ædificationem fidelium, necnon et ad pastorum instructionem conducere visa fuerint, quod, priusquam edatur cum dicta appendice, S. Sedis approbationi subjicietur. Ne autem peculiares ritus cujusque arbitrio inducantur, districte vetamus ne sacerdotes a forma sibi in rituali præscripta, consuetudinis obtentu, vel alio quocumque prætextu, discedant.

DECRETUM VII.

De cœremoniali.

Edatur quoque quamprimum liber cœremoniarum ex probatissimis operibus desumptus, cæremoniali episcoporum, pontificali, missali, ac rituali romano omnino conformis (S. Sedis judicio subjiciendus) ; ut sacerdotes clericique omnes per hanc provinciam ritus ecclesiæ universalis accurate calleant religioseque servent.

DECRETUM VIII.

De casibus reservatis.

"Magnopere ad Christiani populi disciplinam perti-
"nere sanctis patribus nostris visum est, ut atrociora
"quædam et graviora crimina, non a quibusvis, sed a
"summis duntaxat sacerdotibus absolvantur."

Huic ergo auctoritati Tridentinæ Synodi inhærentes, præter casus Summo Pontifici reservatos, sequentes casus nobis reservamus, nempe peccata eorum :

1.—Qui publice et notorie in concubinatu vivunt ;

2.—Qui scienter domos suas meretricibus publice notis locant.

Ne quis tamen pereat occasione reservationis, absolutionem pœnitenti bonæ fidei a sacerdote, jure absolvendi a casibus reservatis non gaudente, collatam validam esse declaramus. Excipiendus est tamen *complicis* casus.

DECRETUM IX.

De solemnitatibus.

Placuit ut, de licentia S. Sedis, cæteris solemnitatibus festorum quæ ad dominicam die remittuntur suppressis, sequentes tantum serventur atque celebrentur, juxta modum a S. Sede jam concessum pro solemnitate Assumptionis, translata ad dominicam, scilicet :

Purificationis B. M. V. ;
S. Joseph ;
S. Joannis Baptistæ ;
Assumptionis B. M. V. ;
Nativitatis ejusdem ;
S. Michaelis Archangeli ;
S. Patroni vel Titularis ecclesiarum parochialium.

DECRETUM X.

De cantu et musica in ecclesiis.

Quæ in ecclesiis cantanda sunt ad divinum cultum promovendum, fovendamque fidelium devotionem tantummodo inservire debent : caveant igitur parochi, ne musica levis vel indecora, theatrumque redolens, a divina contemplatione fideles avertat. Curent pastores ut cantus gregorianus, utpote ecclesiæ proprius, majestatique divini cultus sua gravitate multo conformior, in missa solemni, necnon in vesperis, primas partes obtineat. Invigilent autem diligenter ne cantus exponatur contemptui, modo quo executioni mandatur : voces sint unisonæ, nec plus æquo extollantur ; cantus non sit tardior citiorve ; chorusque a peritis in cantu gregoriano regatur : quod vix obtinendum est, nisi studiosa juventus præ mundana, ecclesiæ musicam ediscat. Dent igitur operam rectores collegiorum seminariorumque, qui tam admirabili zelo juventuti instituendæ se devovent, ut cantum gregorianum alumni apprime edoceantur.

DECRETUM XI.

De catechismo.

Quum uniformitas, etiam in modo doctrinæ christianæ tradendæ, maxime optanda sit, decernimus ut catechismus, gallico sermone scriptus, atque a concilio provinciali approbatus, edatur in usum christifidelium qui hoc idiomate utuntur : catechismus vero, auctore *Butler*, anglico sermone exaratus, utpote ab Hiberniæ episcopis approbatus, et jamdudum in nostra regione vulgatissimus, pro omnibus christifidelibus anglice loquentibus usu servetur.

DECRETUM XII.

De catechesibus, sive ante, sive post primam communionem faciendis.

Singulis diebus dominicis, integro anni cursu, quoad possibile sit, in quaque parochiali ecclesia, fiant catecheses, in quibus genuinum catechismi provincialis sensum, simplici sermone, animarum pastores enodabunt.

Curent animarum pastores ut pueri, opportunis instructionibus disponantur ad primam confessionem; et ut prima vice ad sacram synaxim accessuri, rite sint parati, atque ad dijudicandum corpus Domini facti fuerint idonei. Idcirco per catecheses non paucas aut obiter factas, sed frequenter repetitas, serio matureque præparatas instituantur. Quoad autem tempus per quod fieri debent catecheses, ætatemque qua pueri admitti possunt, præscriptiones rituali adjunctæ adamussim serventur.

Cum autem pueri parentibus ignotis procreati admittendi sunt, sedulo inquiratur an baptizati fuerint; si quidem prima illorum communio habenda sit postea ut authentica quædam baptismi attestatio.

Pastores animarum operam daturos esse confidimus, ut catechesibus dominicalibus, saltem per unum annum post susceptam prima vice communionem, pueri adsint, ut melius præcepta Dei et Ecclesiæ ediscant, fusiusque dogmata catholicæ fidei edoceantur.

DECRETUM XIII.

De sacerdotibus recens ordinatis, collationibusque ecclesiasticis.

Sacerdotes non modo virtute sed etiam doctrina pollere debent; labia enim sacerdotis custodiant scientiam, et

legem requirent ex ore ejus. Scientia quidem congrua in seminariis instruuntur ; nullus tamen existimet, ordine presbyteratus suscepto, se studiorum cura jam esse absolutum. Quum enim ad sacrum regimen animarum venit, tunc magis ac magis attendere sibi debet et doctrinæ. Nisi enim novis et fere quotidianis instet studiis, quæ didicerat brevi a mente elabuntur, et cæcus factus cæcis ducatum præstans, cum eis in foveam cadet.

Hisce studiis ut faveat, Concilium decernit ut sacerdotes, recens ordinati, examini supra theologiæ materia, prius assignata, coram episcopo vel ejus delegatis quotannis subeundo, per quadriennium subjiciantur, et, eodem temporis spatio, singulis annis, duas conciones scriptas episcopo suo exhibeant.

Episcopos vero hortatur ut, quantum fieri potest, collationes de rebus ecclesiasticis a presbyteris inter se habendas instituant, easque, ut bene et ordinate fiant, regulis muniant. A sacerdotibus autem qui hisce collationibus interesse non valebunt, exigatur ut quæstionibus in collationibus discutiendis scripto respondeant.

DECRETUM XIV.

De famulabus sacerdotum.

Cum mulieribus nullam consuetudinem habeant clerici in sacris ordinibus constituti, nec domi apud se retineant, nisi matrem, aut sororem, aut amitam, neque sibi famulas accipiant vel retineant, nisi provectæ ætatis (juxta receptam sacrorum canonum interpretationem) et famæ illibatæ, de quibus nulla possit haberi suspicio.

DECRETUM XV.

De relationibus faciendis episcopo a parochis et missionariis.

Ut tanto munere pascendi animas et regendi bene fungamur, nemo non videt quanti sit momenti ut *Boni instar Pastoris* oves nostras cognoscamus, et apprime nobis innotescat quid in singulis parœciis vel missionibus fovendum sit, quid corrigendum. Qua de causa, relationes in quibus unusquisque parochus vel missionarius statum morum et religionis in sua parœcia vel missione, ordine exposuerit, quotannis ante calendas septembris, ad nos dirigi jubemus. Quæ relationes, unionem quæ fideles et parochos cum episcopis devincire debet, confirmabunt.

DECRETUM XVI.

De incorporatione presbyterorum extraneorum.

Nullus extraneus sacerdos ut membrum cleri diœcesani admittatur, quin prius, præter licentiam exeundi, exhibuerit litteras commendatitias recens scriptas, et a proprio episcopo subsignatas.

DECRETUM XVII.

De societatibus secretis.

Propter gravissimas rationes, vetuerunt SS. Pontifices ne fideles secretas societates, quovis nomine nuncupatas, ineant, jurejurando sese adstringentes ad arcana servanda. Nam fœdera hujusmodi clanculum inita mali suspicionem et periculum præ se ferunt, et jusjurandum temere adhibetur. Idcirco monemus sacerdotes omnes neminem posse absolutione sacramentali donari, nisi ab

hujusmodi societatibus prorsus recedat. Hortamur autem, et in Domino obsecramus fideles omnes, ut occulta illa fœdera omnino declinent, mente revolventes se Christi membra esse, et ecclesiæ quæ mater nostra est mandatis teneri, eosque ut filios lucis debere ambulare, juxta sanctissima et divina illa documenta quæ Christus Dominus tradidit.

DECRETUM XVIII.

De scholis mixtis.

Scholas *mixtas*, in quibus scilicet pueri fidelium simul cum acatholicorum pueris promiscue admissi, nullam vel falsam religionem edocentur, utpote natas ad hanc impietatis luem, quæ vulgo *indifferentismus* nuncupatur, procreandam omnino periculosas judicamus. Quapropter pastoribus animarum enixe commendamus ut fideles, quorum cura sibi committitur, ab istis gymnasiis omni conatu avocent. Quod si in quibusdam locis, scholis catholicis deficientibus, *mixtas* scholas pueri adire cogantur, invigilent pastores eorum atque parentes ne, erroris venenum sensim ebibentes, fidei innocentiæque jacturam patiantur. Nobis vero nihil non emoliendum erit ut catholici, jura sua retinentes, scholis sibi propriis, sicut et collegiis universitatibusque, in tota nostra provincia fruantur.

In primis autem satagemus ut scholam moderatricem (vulgo dictam normalem) ad magistros, sana doctrina, bonisque moribus informandos obtineamus.

DECRETUM XIX.

De celebratione synodi diœcesanæ.

Juxta decretum sacri Concilii Tridentini, diœcesana synodus quotannis, quantum fieri potest, celebretur.

Huic autem synodo universi et singuli intersint quicumque ex jure vel ex consuetudine interesse tenentur.

DECRETUM XX.

De publicatione decretorum hujus Concilii provincialis.

Decreta hujus Synodi provincialis nemo prelo subjiciat aut promulget antequam a Sancta Sede Apostolica, juxta Constitutionem Sixti V, quæ incipit *Immensa*, revisa et recognita fuerint. Litteris autem quibus illa confirmentur a Sanctitate Sua obtentis, ea statim imprimantur; impressaque, a singulis episcopis, vel in synodo diœcesana, vel, si celebrari nequeat, extra synodum, quam primum promulgentur.

DECRETUM XXI.

De invocatione et veneratione Bmæ. Mariæ Virginis.

Eximia admodum et ineffabilis Beatæ Virginis Mariæ dignitas postulat ut ei peculiaris exhibeatur cultus, qui etsi non latriæ sit, cultu tamen sanctorum tanto præstantior esse debet, quanto gratia et gloria sanctos supereminet Maria: et hi quidem fideles Dei famuli et amici, illa vero, non ancilla tantum et dilecta, sed et mater Domini sui exstitit, quæ lumen æternum mundo effudit, Jesum Christum Salvatorem nostrum. Unde illam beatam dixerunt omnes generationes; illam omnes ecclesiæ tum patres, tum doctores tantis extulerunt laudibus; illius encomium tot celebrarunt concilia. Et ideo hæc Synodus, iisdem vestigiis insistere cupiens, hortatur et obsecrat episcopos provinciæ, aliosque quoslibet saluti animarum incumbentes, ut pro viribus suis, cultum Beatissimæ Dei Genitricis magis ac magis propagare

studeant, pro certo habentes quod qui invenerit matrem illam misericordiæ, inveniet vitam et hauriet salutem a Domino.

Unde hujus primi Concilii provincialis Patres, in hac ecclesia metropolitana, sub titulo Immaculatæ Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis dedicata, ad pedes ejusdem Dei Genitricis illabatæ provoluti, illi se suasque oves offerunt ac devovent, eamque ponunt custodem in vineis suis. Oculos ad Sedem Apostolicam convertunt, humiliter et instanter eam deprecantes ut in omnibus hujus provinciæ diœcesibus, in officio et missa Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis, liceat in orationibus et præfatione addere verba *immaculatæ, immaculata ;* et in litaniis ejusdem B. Mariæ Virginis, *regina sine labe concepta, ora pro nobis :* atque etiam tanquam ecclesiæ catholicæ doctrinam definire velit Beatissimæ Virginis Mariæ conceptum immaculatum omnino fuisse, ac ab omni prorsus originalis culpæ labe immunem.

DECRETUM XXII.

De promulgatione testium synodalium.

Nos Petrus - Flavianus Turgeon , Archiepiscopus Quebecensis, antiquum atque probatum de testibus synodalibus institutum secuti, ad hoc officium, de consilio et consensu Reverendissimorum Episcoporum nostrorum, deligimus, instituimus atque pronuntiamus eos quorum nomina sequentur :

Pro Quebecensi Archidiœcesi, DD. Thomam Cooke, Vicarium Generalem dictæ Archidiœcesis, et Franciscum Xaverium Delâge, parochum a Beata Maria Auxilii vulgo l'*Islet* ;

Pro Diœcesi Kingstoniensi, DD. Æneam McDonnell et Joannem McDonald, Vicarios Generales Episcopi Kingstoniensis ;

Pro Diœcesi Marianopolitanensi, DD. Josephum LaRocque, canonicum ecclesiæ cathedralis Marianopolitanensis, et Petrum-Mariam Mignault, archipresbyterum, parochum a S. Josepho vulgo *Chambly*, in eadem Diœcesi ;

Pro Diœcesi Bypolitana, DD. Petrum Aubert, Superiorem Oblatorum Mariæ Immaculatæ, et Jacobum Hughes, parochum a S. Paulo vulgo *Aylmer*, in dicta Diœcesi Bypolitana ;

Pro Diœcesi Torontina, DD. Petrum - Henricum Harkin, presbyterum domus Archiepiscopalis nostræ, et Antonium Parant, presbyterum Seminarii Quebecensis.

DECRETUM XXIII.

De indictione futuri Concilii provincialis.

Cum sacrosanctæ Synodi Tridentinæ decretis statutum sit, ut quolibet saltem triennio celebrentur Concilia provincialia, ut ecclesiæ menti obsequamur, Nos Petrus-Flavianus Turgeon, Archiepiscopus Quebecensis, de consilio et consensu Reverendissimorum Episcoporum Comprovincialium, proximum Concilium hujus provinciæ in ipsa nostra ecclesia metropolitana, mense maio anno millesimo octingentesimo quinquagesimo quarto, celebrandum jam denuntiamus et indicimus omnibus qui præsentes adesse debent.

DECRETUM XXIV.

De fine Concilii.

Cum placuerit omnibus Patribus hujus concilii finem fieri, Nos Petrus-Flavianus Turgeon, Archiepiscopus Quebecensis, provinciali concilio finem facimus, et jam nunc factum esse decernimus.

DECRETUM XXV.

De subscriptione.

Nos Petrus-Flavianus Turgeon, Archiepiscopus Quebecensis, admonemus Rmos Patres omnes, qui huic Synodo jure intersunt et interfuerunt, ut post nos, singuli, loco et ordine suo, ad altare accedant, et iis quæ in hac Synodo decreta sunt, subscribant.

Nos Petrus-Flavianus Turgeon, Archiepiscopus Quebecensis, hæc decreta a nobis definita subscripsimus.

✠ P.-F. Archiepiscopus Quebecensis.

✠ Ego Rem. Episc. Kingstoniensis definiens subscripsi.

✠ Ego Ignatius Episc. Marianopolitanus definiens subscripsi.

✠ Ego Jos.-Eugenius Ep. Bypolitanensis definiens subscripsi.

✠ Ego Arm.-F.-M. Episc. Torontinus definiens subscripsi.

✠ Ego Patritius Ep. Carrhensis, Kingstoniensis Administrator, definiens subscripsi.

✠ Ego Joannes-Carolus Prince Ep. Martyropolitanus, Coadj., Marianopolitanensis, definiens subscripsi.

✠ Ego C.-F. Baillargeon Ep. Tloan., Coadj. Archiepiscopi Quebecensis, definiens subscripsi.

EPISTOLA PATRUM CONCILII ROMAM UNA CUM DECRETIS EJUSDEM CONCILII POST EJUS CELEBRATIONEM AD SUMMUM PONTIFICEM MISSA.

Sanctissimo Domino Nostro Pio Papæ Nono.

BEATISSIME PATER,

Sanctitati Vestræ, tanta sollicitudine saluti omnium ecclesiarum invigilanti, gratum sane erit audire episcopos provinciæ ecclesiasticæ Quebecensis nuperrime formatæ, sacræ Tridentinæ Synodi decretis obedientes, in urbe metropolitana, ad celebrandum primum provinciale Concilium convenisse, die 15a mensis augusti.

Illis autem episcopis congregatis haud fas erat ex Concilio discedere, quin prius commune et solemne testimonium ejus qua erga Apostolicam Sedem Sanctitatemque Vestram venerationis, obedientiæ et devotionis afficiuntur, exhiberent. Hujus debiti, nobis omnibus, utpote amantissimis filiis, quam maxime grati, solvendi gratia, Reverendissimum J.-C. Prince, episcopum Martyropolitanum, fratrem nostrum charissimum, atque mentis animique nostri fidelem interpretem, Romam mittimus. Ipse ad Sanctitatis Vestræ pedes has litteras et vota nostra, una cum decretis quæ, ecclesiarum nostrarum necessitatibus occurrentes, condenda censuimus, deponet.

Hæc Apostolicæ Sedis judicio, ut par est, subjicimus; ut, si Sanctitati Vestræ probentur, necessaria hac sanctione firmata, optatum effectum feliciter sortiantur.

Pauca quidem decernenda judicavimus, ast præsentibus, rerum nostrarum adjunctis accommodata, ejusque naturæ, ut, si fideliter serventur, una cum Sedi Sanctæ subjectione ac concordia inter fratres, gloriam Dei, animarum salutem incrementumque religionis, divinæ gratiæ auxilio, in nostris diœcesibus promovere valeant.

Et nunc ad Sanctitatis Vestræ pedes provoluti, eique multos annos et æternam memoriam exoptantes, Apostolicam Benedictionem nobis gregibusque nostris imploramus.

Sanctitatis Vestræ,

Obsequentissimi filii,

✠ P.-F., ARCHIEPPUS QUEBECENSIS.
✠ RIUS., EPUS KINGSTONIENSIS.
✠ IG., EPUS MARIANOPOLITANENSIS.
✠ JOS.-EUG., EPUS BYPOLITANENSIS.
✠ ARMDUS.,-FR.-M. EPUS TORONTINUS.
✠ PATRITIUS, EPUS CARRHENSIS, KINGSTONIENSIS ADMINISTRATOR.
✠ J.-C., EPUS MARTYROPOLITANUS, COADJ. MARIANOP.
✠ C.-F., EPUS. TLOAN. COADJ. QUEBECENSIS.

Quebeci, die 28a augusti 1851.

PII PAPÆ IX LITTERÆ SUPER ACTIS CONCILII QUEBECENSIS.

Venerabiles Fratres Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Quas die vigesima octava mensis augusti superioris anni ad Nos mittere voluistis Litteras, grato prorsus et perlibenti animo accepimus ; sensibus enim sunt undequaque refertæ deditissimi Nobis et Sedi huic Apostolicæ animi. Quamobrem Martyropolitanum Episcopum Joannem-Carolum qui et Litteras ipsas Nobis reddidit, et Acta Provincialis Concilii, quod nuper habuistis, huc attulit, benignissime excepimus, eximiamque Vestrum omnium in fungendo pastorali munere sollicitudinem, et alacritatem gratulati fuimus. Quibus de Actis ubi primum necessarium examen fuerit absolutum, responsum accipietis, Venerabiles Fratres ; interim vero Nostra hac Epistola officio vestro Nos respondemus, ac stimulos bene licet currentibus addimus, quo uberior in dies creditis Vobis Ecclesiis exstet pastoralis Vestri studii et sollicitudinis fructus. Omnipotentem Dominum humilibus Nos precibus invocamus, ut vestram in Nos pietatem et observantiam omni remuneret copia donorum cœlestium. Quorum auspicem Nostræque erga vos præcipuæ caritatis pignus adjungimus Apostolicam benedictionem quam ex intimo corde depromptam Vestrum singulis, Venerabiles Fratres, cum omni etiam clero vestro, Fidelique Populo communicandam intimo cordis affectu peramanter impertimur.

Datum Romæ apud S. Petrum, die 7 januarii anni 1852, Pontificatus Nostri anno VI.

PIUS PP. IX.

APPROBATIO DECRETORUM.

S. Congnis. de Propaganda Fide. Decretum.

Archiepiscopus et Episcopi Provinciæ ecclesiasticæ Quebecensis, ut Ecclesiarum illarum regimini melius provideretur, superiore anno, mense augusto, Provincialem Synodum in ipsa Quebecensi urbe celebrarunt, ejusdemque acta et decreta, per Epum. Joannem-Carolum Prince, examini ac judicio Sedis Aplicæ. exhibuerunt. Porro in duplici generali conventu, diebus 10 ac 17 maii hujus anni, Emi. ac Rmi. Patres S. Congnis. de Propaganda Fide, referente Emo. ac Rmo. Do Ludovico Card. Altierio, mature iisdem actis ac decretis perpensis, prævia sanatione cujuscumque defectus in celebratione ejusdem Synodi, quæ a SSmo. Domino Nostro concessa est, supradicta decreta, nonnullis adhibitis modificationibus, (1) quæ peculiari Instructione traduntur, approbanda censuerunt.

Dat. Romæ ex æd. dict. S. C. de P. Fide, die 6 julii 1852.

[L. ✠ S.] (Sign) J.-PH. CARD. FRANZONI,
Præf.

AL. BARNABO,
a Secretis.

(1) Quæ modificationes exsecutæ fuerunt in decretis supra citatis.

DECRETA

SECUNDI CONCILII

PROVINCIÆ QUEBECENSIS

IN

CIVITATE QUEBECENSI

CELEBRATI

A SANCTA SEDE REVISA ET RECOGNITA ANNO
PONTIFICATUS PII PAPÆ NONI IX
DOMINI MDCCCLIV

QUEBECI
1855

DECRETA
SECUNDI CONCILII
PROVINCIÆ QUEBECENSIS
ANNO MDCCCLIV
CELEBRATI

PRÆSIDE ILLUSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO

ARCHIEPISCOPO QUEBECENSI.

LITTERÆ DE INDICENDO ET CONVOCANDO

Provinciæ Quebecensis Secundo Concilio.

PETRUS-FLAVIANUS TURGEON

MISERATIONE DIVINA ET SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ GRATIA
ARCHIEPISCOPUS QUEBECENSIS, &c., &c.

Reverendissimis Provinciæ Quebecensis Episcopis, nostro eorumdemque Clero et Populo, Salutem in Domino.

Quum secundum Sacrosanti Concilii Tridentini præscriptiones, tertio quoque anno, in unaquaque provincia ecclesiastica, celebrandum sit concilium, ut pastores simul congregati, inspirante Spiritu Sancto, utiliora possint media seligere ad tuendam stabiliendamque fidem in cordibus christianorum, cultum divinum ampliori honore muniendum, studium bonorum operum amoremque rectæ disciplinæ in clero populoque foven-

da ; Nos, præterea, decretum XX primi Concilii provinciæ Quebecensis obsequentes pro muneris nostri officio, secundum Concilium ejusdem provinciæ in civitate Quebecensi, ecclesiaque nostra metropolitana, indicere et convocare decrevimus, illudque, in dicta ecclesia, Dominica infra octavam Ascensionis, die scilicet 28a mensis maii præsentis anni, incipiendum, per præsentes indicimus atque convocamus.

Quapropter omnes et singulos Revendissimos ac Venerabiles in Christo Fratres nostros Marianopolitanensem, Carrhensem, Diœcesis Regiopolitanensis Administratorem, Bypolitanum, Torontinum, S. Hyacinthi, Trifluvianum et S. Bonifacii, Episcopos nostros comprovinciales, eorumdemque coadjutores *cum futura successione,* ac alios quoscumque qui de jure, vel privilegio, Synodo seu Concilio provinciali interesse debent, enixe hortamur et invitamus, et, in quantum necesse est, auctoritate nostra archiepiscopali et ordinaria requirimus et admonemus, eisque, virtute sanctæ obedientiæ, districte præcipimus ut ad dictum Synodum seu Concilium provinciale celebrandum conveniant et personaliter compareant, nisi forte, justo detenti impedimento, procuratoribus ab eis legitime electis in hoc Concilio suppleantur ; et quoscumque suarum respective diœcesium ecclesiasticos, qui de jure vel privilegio interesse debent, ad illud quoque convenire et comparere faciant.

Venerabiles in episcopatu Fratres obsecramus ut diœcesanos suos hortentur ad preces pro felici Concilii exitu fundendas. Omnipotentem Deum humillime deprecentur ut decreta ejusdem Concilii spiritu sapientiæ indicta, majorem Dei gloriam animarumque salutem in Provincia ecclesiastica Quebecensi promoveant.

Datum Quebeci, in ædibus nostris archiepiscopalibus, sub signo sigilloque nostris ac Secretarii nostri chirographo, in Epiphania Domini, anno millesimo octingentesimo quinquagesimo quarto.

✠ P.-F., ARCHIEPPUS QUEBECENSIS.

L. ✠ S. *De Mandato Illustrissimi ac Revendissimi DD. Quebecensis Archiepiscopi.*

EDMUNDUS LANGEVIN, Pter., Secr.

m
co
in
ti
sa
ne
sp
sa
al
an
pa
m
fu

DECRETA

SECUNDI CONCILII PROVINCIALIS QUEBECENSIS.

DECRETUM I.

De aperienda Synodo.

Ut in primo Concilio, p. 13.

DECRETUM II.

De modo vivendi in concilio.

Ut in primo concilio, p. 14.

DECRETUM III.

De professione fidei.

Præcipit Sancta Synodus Tridentina patriarchis, primatibus, archiepiscopis et omnibus aliis qui de jure vel consuetudine in concilio provinciali interesse debent, ut in ipsa prima Synodo provinciali post finem præsentis concilii habenda, ea omnia et singula quæ ab hac sancta Synodo definita et statuta sunt palam recipiant, necnon veram obedientiam Summo Romano Pontifici spondeant et profiteantur, simulque hæreses omnes a sacris canonibus et generalibus conciliis, præsertimque ab hac eadem Synodo damnatas, publice detestentur et anathematizent : idemque in posterum quicumque in patriarchas, primates, archiepiscopos episcoposque promovendi, in prima synodo provinciali in qua ipsi interfuerint, omnino observent.

DECRETUM IV.

De Fide.

Cum fides sit salutis humanæ initium, fundamentum et radix omnis justificationis, *sine qua impossibile est placere Deo,* et ad filiorum ejus consortium pervenire, *credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit ;* cumque nostris temporibus innumeri homines ignorantiæ tenebris sint involuti, aut sophismatibus impiorum decepti, necnon hæreticorum cavillationibus expositi, mandamus omnibus nostræ provinciæ animarum rectoribus, ut fidei catholicæ dogmata sedulo et lucide exponant, quo fidelium mentes contra horum impiorum artes et effrænatos impetus feliciter præmuniantur.

Ut autem in his exponendis habeant formam sanorum verborum, docentes ex eodem sensu, iisdemque terminis, quibus ab Ecclesia tradita et definita sunt, firmiter teneant fideliterque sequantur symbolum fidei, cujus expositionis typum exhibet tum professio fidei a Pio IV Pontifice Maximo præscripta, tum decretum, quod hic subjicimus, Concilii Lâteranensis IV, quo præcipui errores, qui hodie dum pullulant fideique fundamenta subruunt, radicitus præscinduntur.

Firmiter credimus, et simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus, æternus, immensus et incommutabilis, incomprehensibilis, omnipotens et ineffabilis, Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus ; tres quidem personæ, sed una essentia, substantia, seu natura simplex omnino : Pater a nullo, Filius a Patre solo, ac Spiritus Sanctus pariter ab utroque ; absque initio semper, ac sine fine : Pater generans, Filius nascens, et Spiritus Sanctus procedens, consubstantiales, et coæquales et

coomnipotentes, et coæterni ; unum universorum principium : creator omnium visibilium et invisibilium, spiritualium et corporalium : qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam : ac deinde humanam quasi communem, ex spiritu et corpore constitutam. Diabolus enim et alii dæmones, a Deo quidem natura creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali : homo vero diaboli suggestione peccavit. Hæc Sancta Trinitas secundum communem essentiam individua, et secundum personales proprietates discreta, primo per Moysen et sanctos Prophetas, aliosque famulos suos, juxta ordinatissimam dispositionem temporum, doctrinam humano generi tribuit salutarem. Et tandem unigenitus Dei Filius Jesus Christus a tota Trinitate communiter incarnatus, ex Maria semper Virgine Spiritus Sancti cooperatione conceptus, verus homo factus, ex anima rationali et humana carne compositus, una in duabus naturis persona, viam vitæ manifestius demonstravit.

Qui, cum secundum divinitatem sit immortalis et impassibilis, idem ipse secundum humanitatem factus est passibilis et mortalis. Qui, etiam pro salute humani generis in ligno crucis passus et mortuus, descendit ad inferos, resurrexit a mortuis, et ascendit in cœlum : sed descendit in anima et resurrexit in carne, ascenditque pariter in utraque ; venturus in fine sæculi, judicaturus vivos et mortuos, et redditurus singulis secundum opera sua tam reprobis quam electis : qui omnes cum suis propriis resurgent corporibus, quæ nunc gestant, ut recipiant secundum opera sua, sive bona fuerint, sive mala : illi cum diabolo pœnam perpetuam, et isti cum Christo gloriam sempiternam.

Una vero est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur. In qua idem ipse sacerdos et sacrificium Jesus Christus, cujus corpus et sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis et vini veraciter continetur, transubstantiatis pane in corpus et vino in sanguinem potestate divina : ut, ad perficiendum mysterium unitatis, accipiamus ipsi de suo, quod accipit ipse de nostro. Et hoc utique sacramentum nemo potest conficere nisi sacerdos, qui rite fuerit ordinatus secundum claves Ecclesiæ, quas ipse concessit Apostolis, eorumque successoribus Jesus Christus. Sacramentum vero baptismi (quod ad Dei invocationem, et individuæ Trinitatis, videlicet Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, consecratur in aqua) tam parvulis quam adultis in forma Ecclesiæ a quocumque rite collatum proficit ad salutem. Et si post susceptionem baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper pœnitentiam reparari.....

Nos autem hanc fidem firmiter tenentes atque hic palam corde et ore confitentes, omnes errores quos ipsa evertit et damnat, detestamur ac damnamus.

His igitur fidei nostræ documentis innixi, et omnino inhærentes latis vel ferendis S. Sedis oraculis, damnamus Pantheismum, sive spiritualem, sive materialem, in quo systemate, Deus est omnia, et omnia Deus.

Reprobamus et damnamus omnia systemata ex quibus concludi posset aut insinuari, sive directe, sive indirecte, divinam substantiam non esse vere et absolute, omnique modo et sub omni respectu, a quacumque alia substantia, seu visibili, seu invisibili, quovis nomine et forma, segregatam.

Detestamur ac damnamus impietatem illorum qui augustissimum Trinitatis mysterium nihil esse dicunt nisi symbolum systematis pantheistici.

Damnamus systema illorum, qui catholicum de creatione e nihilo dogma abjicientes, asserunt Deum solummodo efformasse, ac disposuisse materiam sibi coæternam. Respuimus etiam ac damnamus illorum errorem, qui summam Dei independentiam tollunt, negantes ejus libertatem in suis ad extra operibus.

Damnamus non tantum errorem materialistarum qui negant animam esse substantiam spiritualem, a corpore distinctam, sed etiam impietatem eorum qui affirmant omnes animæ actus ab organicis corporis dispositionibus invincibiliter determinari, tollentes sic humanam libertatem.

Detestamur et damnamus impietatem eorum qui hominis ordinationem ad statum supernaturalem, ejusdemque ad vitam æternam et beatam vocationem negare non erubescunt.

Damnamus omnia systemata quæ historiam religionis, quam Scriptura sacra continet, in fictiones mythicas evertunt ; sicut etiam perhorrescimus et damnamus impietatem eorum qui sacrosancta Evangelii dicta ad sensus et usus non solum profanos, sed etiam criminosos detorquentes, ipsum Jesu Christi nomen, sacrilega audacia usurpantes, ipsum Dominum nostrum sibi vindicant, hodiernisque sectariis impiis et antichristianis antesignanum blasphemare non refugiunt.

Damnamus eorum pervulgatissimum errorem qui religionum, ut dicitur, indifferentiam introducentes, negant unicam esse religionem a Deo institutam, unicam Christi ecclesiam, aut eam ex diversis sectis coalescere contendunt.

DECRETUM V.

De Sacramentis in genere.

1. Parochi cæterique omnes sacerdotes, quibus incumbit mysteriorum Dei dispensatio, in primis hæc verba ritualis romani semper ob oculos habeant : " Cum igitur in Ecclesia Dei nihil sanctius, aut utilius, nihilque excellentius, aut magis divinum habeatur, quam sacramenta ad humani generis salutem a Christo Domino instituta, parochus, vel quivis alius sacerdos, ad quem eorum administratio pertinet, meminisse in primis debet, se sancta tractare, atque omni fere temporis momento ad tam sanctæ administrationis officium paratum esse oportere. "

2. " Quamobrem illud perpetuo curabit, ut integre, caste, pieque vitam agat ; nam etsi sacramenta ab impuris inquinari non possunt, neque a pravis ministris eorum effectus impediri, impure tamen et indigne ea ministrantes, in æternæ mortis reatum incurrunt. Sacerdos ergo, si fuerit peccati mortalis sibi conscius (quod absit), ad sacramentorum administrationem non audeat accedere, nisi prius corde pœniteat ; sed si habeat copiam confessarii, et temporis, locique ratio ferat, convenit confiteri. "

3. " Quacumque diei ac noctis hora ad sacramenta administranda vocabitur, nullam officio suo præstando (præsertim si necessitas urgeat) moram interponat. Ac præterea populum sæpe, prout sese offeret occasio, præmonebit, ut cum sacro ministerio opus fuerit, se quamprimum advocet, nulla temporis aut cujuscumque incommodi habita ratione. "

4. " Ipse vero antequam ad hujusmodi administrationem accedat, paululum, si opportunitas dabitur,

orationi et sacræ rei quam acturus est, meditationi vacabit, atque ordinem ministrandi, et cæremonias, pro temporis spatio, prævidebit et perleget."

5. "In omni Sacramentorum administratione, superpelliceo sit indutus, et desuper stola ejus coloris quem sacramenti ritus exposcit, nisi in Sacramento Pœnitentiæ ministrando occasio, vel consuetudo, vel locus interdum aliter suadeat."

6. "In Sacramentorum administratione, eorum virtutem, usum ac utilitatem et cæremoniarum significationes, ut Concilium Tridentinum præcepit, ex sanctorum Patrum et Catechismi Romani doctrina, ubi commode fieri poterit, diligenter explicabit."

7. "Dum Sacramentum aliquod ministrat, singula verba quæ ad illius formam et ministerium pertinent, attente, distincte, pie atque clara voce pronuntiabit. Similiter et alias orationes et preces, devote ac religiose dicet, nec memoriæ, quæ plerumque labitur, facile confidet, sed omnia recitabit ex libro. Reliquas præterea cæremonias ac ritus, ita decenter, gravique actione peraget, ut adstantes ad cœlestium rerum cogitationem erigat, et attentos reddat." (Rit. Rom.)

DECRETUM VI.

De Sacris Ritibus in Sacramentorum administratione.

Volumus et mandamus ut in sacramentorum administratione, in missis et divinis officiis celebrandis, aliisque functionibus ecclesiasticis obeundis, recepti et approbati ecclesiæ catholicæ Ritus peculiari studio ac adamussim serventur. Eos vero tanquam receptos et approbatos ecclesiæ Ritus agnovimus qui in Pontificali Romano et Ceremoniali Episcoporum, vel rubricis Missalis, breviarii

et Ritualis præscribuntur. Ut autem ab omnibus, qua par est diligentia ac religione, custodiantur, et ubique fideliter serventur, illud ante omnia attente perpendatur quod sacrosancta Tridentina Synodus (Sess. 7. Can. 13), de iis Ritibus decrevit in hæc verba: *Si quis dixerit receptos et approbatos Ecclesiæ Catholicæ Ritus, in solemni sacramentorum administratione consuetos, aut contemni aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit.*

DECRETUM VII.

De Baptismo.

1. " Sacrum Baptisma, christianæ religionis et æternæ vitæ januam, quod inter alia novæ legis sacramenta a Christo instituta primum tenet locum, cunctis ad salutem necessarium esse ipsa Veritas testatur illis verbis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Itaque summa ad illud opp[illegible]tune riteque administrandum ac suscipiendum d[illegible]a adhibenda est. "

Opportune," igitur et instanter " hortetur parochus [illegible]os ad quos ea cura pertinet, ut natos infantes, sive baptizandos, si baptizatos, quamprimum fieri poterit, ea qua decet christiana modestia, sine pompæ vanitate, prætermisso omni vano prætextu, deferant ad ecclesiam, ne iis sacramentum tantopere necessarium nimium differatur, cum periculo salutis, et ut iis, qui ex necessitate privatim baptizati sunt, consuetæ cæremoniæ ritusque suppleantur, omissa forma et ablutione. " (Rit. Rom.)

3. Cum absque gravi delicto et irregularitatis pœna Baptismus iterari nequeat, sacerdos cavere debet ne

quemquam, etiam sub conditione, iterum baptizet, nisi, re diligenter perquisita, prudens dubium relinquatur an rite baptizatus fuerit. Curet igitur diligenter ut certior fiat de statu baptizandorum : an scilicet jam riteque baptizati sint, necne. Præmissa hac matura investigatione, iis quidem quos valide baptizatos esse constat, omissa tantum suppleantur ; illos vero omnes de quibus prudens et probabilis subest dubitatio an fuerint baptizati, sub conditione baptizentur. Hinc baptizandi sunt sub conditione infantes expositi et inventi, atque etiam ii qui domi a laicis abluti sunt, nisi testimonio omni fide digno constet baptismum fuisse rite confectum.

4. Et quoniam, de die in diem, graviora excitantur dubia de valore Baptismi apud protestantes collati, decernimus hujusmodi Baptisma sub conditione esse iterandum, nisi ex indubiis probationibus certissime constet in ipsorum Baptismo omnia rite fuisse peracta quoad materiæ et formæ applicationem.

5. Super hæreticis vero adultis ad catholicam ecclesiam venientibus, sive valide jam baptizati sint, sive sub conditione sint baptizandi, cæremoniæ omissæ suppleantur juxta præscripta Ritualis, nisi episcopus facultate apostolica præditus, dispensare in casibus particularibus judicaverit.

6. Infantes acatholicorum, quos ipsi parentes afferunt, baptizandos esse judicamus, quoties probabilis adsit spes catholicæ eorum educationis. Curandum tamen omnino est ut patrinus vel matrina, iique catholici, habeantur. Meminerint autem sacerdotes, in mortis periculo, quotiescumque occasio se obtulerit, omnes infantes baptizari non solum posse, sed etiam debere.

7. Adultos autem juniores adhuc sub parentum tutorumve acatholicorum potestate constitutos cum certe sui

juris sint in iis quæ Dei sunt, si fidem catholicam profiteri voluerint, ac firmum propositum spemque bonam perseverandi habuerint, etiam invitis ac repugnantibus parentibus, baptizandos, si opus fuerit, ac in gremium ecclesiæ recipiendos esse decernimus. Quod tamen, propter perturbationes gravesque molestias, quæ quandoque hinc oriri possint, passim et inconsulto episcopo fieri non debet, sine consensu parentum.

8. Quoad eos qui ad munus patrini admittendi sunt, serventur præscripta in Rituali Romano, quod omnino et adamussim servari volumus in tota hac provincia.

DECRETUM VIII.

De Confirmatione.

1. Provideant diligenter parochi ut fideles de tanti sacramenti excellentia edocti illud digne suscipiant, atque gratiam ejus in seipsis fovendam et ampliandam curent. Cum autem status gratiæ habitualis ad Confirmationem suscipiendam sit necessarius, eos qui sibi conscii sunt peccati mortalis moneant, ut ad sacram unctionem non accedant, nisi præmissa confessione sacramentali.

2. Dentur confirmandis schedæ, ipsiusmet parochi, vel ejus vicarii manu obsignatæ, quas episcopo sacramentum administraturo exhibeant ; hujusmodi autem schedas petentibus, quos judicaverit idoneos, tradat parochus.

3. Satagat parochus ut omnes confirmandi præsentes sint in principio ritus, cum episcopus elevans manus profert orationem *Omnipotens* (non tamen affirmet illum ritum esse ad sacramenti valorem necessarium), nec exeant nisi post benedictionem in fine cæremoniæ datam. Nomina autem confirmatorum describantur in registro ad formam in Rituali præscriptam.

DECRETUM IX.

De Sacramento Pœnitentiæ.

"Sanctum Pœnitentiæ Sacramentum" tanquam humanæ infirmitatis remedium, "ad eos qui post Baptismum lapsi sunt in gratiam Dei restituendos a Christo Domino institutum, eo diligentius administrandum est, quo frequentior est ejus usus, et quo plura requirantur ad illud rite, digneque tractandum ac suscipiendum." (Rit. Rom.)

§ 1. *Qui sint Ministri hujus Sacramenti et quales esse debeant.*

1. Quare ante omnia oportet ut ministri hujus sacramenti, qui sunt sacerdotes habentes jurisdictionem absolvendi vel ordinariam, vel delegatam, apprime suas agnoscant partes, quæ sunt judicis, medici et doctoris. Has autem ut digne impleant in ipsis omnino requiritur bonitas, scientia, atque prudentia, cum sigillo secretæ confessionis sub exacto perpetuoque silentio. Unde "iis dotibus et aliis ad id opportunis, ut optime sint instructi, omni studio curare debent confessarii." (Rit. Rom.)

2. "In primis igitur meminerit confessarius se judicis pariter et medici personam sustinere, ac divinæ justitiæ simul et misericordiæ ministrum a Deo institutum esse, ut tanquam arbiter inter Deum et homines honori divino et animarum saluti consulat" (Rit. Rom.). Sicut enim nimia facilitas peccatorum est fomentum, sic nimia severitas pluribus est via ad desperationem.

3. "Ut autem recte judicare queat, et tanquam peritus medicus discernens inter lepram et lepram, animarum morbos prudenter curare, et apta cuique remedia applicare sciat, quantam potest maximam ad id scientiam

atque prudentiam, tum in assiduis ad Deum precibus, tum ex probatis auctoribus " (Rit. Rom.), (inter quos præcipue commendamus S. A. M. de Ligorio, quem ex judicio sanctæ sedis, inoffenso pede ac tuta conscientia, omnes sequi possunt), " præsertim a Catechismo Romano, et prudente consilio peritorum studeat sibi comparare. " (Rit. Rom.)

4. " Sciat casus et censuras sedi apostolicæ et ordinario suo reservatas, et suæ cujusque ecclesiæ constitutiones, easque diligenter observet. " (Rit. Rom.).

§ 2. *De Officio Confessarii.*

1. " Sacerdos ad audiendam confessionem vocatus, promptum facilemque se præbeat ; ac priusquam ad audiendum accedat, si tempus suppetat, ad hoc ministerium rite sancteque obeundum, divinum auxilium piis precibus imploret. "

2. " Confessarius benignitate paterna pœnitentem adjuvet, " ut omnia peccata sua rite et integre confiteatur, remota stulta illa quorumdam verecundia, qua præpediti, suadente diabolo, peccata " ministro Christi " confiteri non audent ". (Rit. Rom.)

3. " Si pœnitens numerum et species et circumstantias peccatorum explicatu necessarias non expresserit, eum sacerdos prudenter interroget ; sed caveat ne curiosis et inutilibus interrogationibus quemquam detineat, præsertim juniores utriusque sexus, vel alios, de eo quod ignorant imprudenter interrogans, ne scandalum patiantur indeque peccare discant " (Rit. Rom.), atque sic confessio sacramentalis evadat odiosa.

4. " Audita Confessione, pro gravitate peccatorum ac pœnitentis conditione, opportunas correptiones ac monitiones, prout opus esse viderit, paterna charitate adhi-

beat, et ad dolorem et contritionem efficacibus verbis adducere conetur, atque ad vitam emendandam ac melius instituendam inducat, remediaque peccatorum tradat." (Rit. Rom.)

5. Demum "salutarem et convenientem satisfactionem, quantum spiritus et prudentia suggesserit, injungat, habita ratione status, conditionis, sexus et ætatis, et item dispositionis pœnitentium; videatque ne pro peccatis gravibus levissimas pœnitentias imponat, ne, si forte peccatis conniveat, alienorum peccatorum particeps efficiatur." (Rit. Rom.) Pro peccatis occultis, quantumvis gravibus, publicam pœnitentiam non imponat. Caveat etiam ne ullam præscribat pœnitentiam nimium difficilem, vel quam probabile sit a pœnitente non fore adimplendam.

§ 3. *Quibus danda vel deneganda sit absolutio.*

1. Postremo "videat sacerdos quando et quibus conferenda vel neganda, vel differenda sit absolutio, ne absolvat eos qui talis beneficii sunt incapaces, quales sunt qui nulla dant signa doloris, qui odia et inimicitias deponere, aut aliena, si possunt, restituere, aut proximam peccandi occasionem deserere, aut alio modo peccata derelinquere, et vitam in melius emendare nolunt, aut qui publicum scandalum dederunt, nisi publice satisfaciant et scandalum tollant; neque etiam eos absolvat, quorum peccata sunt superioribus reservata." (Rit. Rom.)

Quæ quidem nemo non viderit, ut ait Leo XII, quam longe ab eorum ratione distent, qui ut gravius aliquod audiunt peccatum, aut aliquem sentiunt multiplici peccatorum genere infectum, statim pronuntiant se non posse absolvere: iis nempe ipsis mederi recusant, qui-

bus maxime curandis ab eo sunt constituti qui ait : *non est opus valentibus medicus, sed male habentibus ;* aut quibus vix ulla scrutandæ conscientiæ diligentia, aut doloris ac propositi satis videtur significatio, ut absolvere se posse existiment ; ac tum demum tutum se cepisse consilium putant, si homines in aliud tempus absolvendos dimiserint. Si enim ulla in re servanda est mediocritas, in hac potissimum servetur necesse est, ne vel nimia facilitas absolvendi facilitatem afferat peccandi, vel nimia difficultas alienet animos a confessione, et in desperationem salutis adducat. Sistunt se quidem multi sacramenti pœnitentiæ ministris prorsus imparati, sed persæpe tamen hujusmodi, ut ex imparatis parati fieri possint, si modo sacerdos viscera indutus misericordiæ Christi Jesu, qui *non venit vocare justos, sed peccatores,* sciat studiose, patienter et mansuete cum ipsis agere. Quod si præstare prætermittat, profecto non magis ipse dicendus est paratus ad audiendum, quam cæteri ad confitendum accedere. Imparati enim illi tantummodo sunt judicandi, non qui vel gravissima admiserint flagitia, vel qui plurimos etiam annos abfuerint a confessione ; *misericordiæ* enim Domini *non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus ;* vel qui, rudes conditione, aut tardi ingenio, non satis in ipsos inquisierint, nulla fere industria sua id sine sacerdotis ipsius opera assecuturi ; sed qui, adhibita ab eo necessaria, non qua præter modum graventur, in iis interrogandis diligentia, omnique in iisdem ad detestationem peccatorum excitandis, non sine fusis ex intimo corde ad Deum precibus exhausta charitatis industria, sensu tamen doloris ac pœnitentiæ, quo saltem ad Dei gratiam in sacramento impetrandam disponantur, carere prudenter judicentur. Quocumque animo sint qui accedant ad

ministrum pœnitentiæ, nihil ei magis cavendum est quam ne sua culpa diffisus quisquam Dei bonitati, aut sacramento reconciliationis infensus discedat. Quare si justa sit causa cur differenda sit absolutio, verbis, quoad poterit humanissimis, persuadeat confessis necesse esse id, et munus officiumque suum et eorum salutem omnino postulare, eosque ad redeundum quamprimum blandissime alliciat, ut iis feliciter peractis quæ salubriter præscripta fuerunt, vinculis soluti peccatorum, gratiæ cælestis dulcedine reficiantur. (*Encyclica ad omnes Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos, de extensione Jubilæi, An.* 1825.)

§ 4. *De necessitate Confessionis.*

1. Christus Dominus Redemptor noster instituit sacramentum pœnitentiæ ad reconciliandos fideles. " Est autem hoc sacramentum pœnitentiæ lapsis post baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse baptismus ". (Conc. Trid. Sess. 14. Cap. 2).

2. Deploranda ergo valde est illa exitiosa quorumdam christianorum indifferentia, qua salutis curam parvi pendentes, tantum charitatis Christi beneficium despicientes, nunquam, aut non nisi raro, ad salutiferum hunc divinæ misericordiæ fontem accedunt.

§ 5. *De Confessione annuali.*

1. Itaque omnes christifideles hortamur atque obsecramus enixe in Domino, ut sæpe sæpius sacramentum pœnitentiæ suscipiant. Quod si hanc salutarem hortationem nostram non audiant, volumus ut ad minus memores sint se teneri, ex ecclesiæ præcepto, confiteri saltem semel in anno, juxta hoc concilii Lateranensis

IV decretum : *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit omnia sua peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio sacerdoti, et injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere.*

2. Igitur de tam salutari ac gravi præcepto frequenter moneantur fideles, juxta ejusdem concilii mandatum, ac sedulo edoceantur.

3. Per proprium quidem sacerdotem intelligitur parochus, episcopus et pontifex romanus. Ut autem penitus esset periculosa libertatis fidelium, relative ad confessarii delectum, restrictio, juxta præsentem ecclesiæ disciplinam, declaramus et volumus eos prædicto ecclesiæ præcepto satisfacere, qui peccata sua cuilibet ab episcopo ad confessiones excipiendas approbato sacerdoti confitetur ; ita ut, ea de re nemo debeat a parocho inquietari, non obstante qualibet alia consuetudine particulari.

§ 6. *De Confessione puerorum.*

Certe pueri, cum ad discretionis ætatem pervenerint, tenentur eodem præcepto confessionis. Debent ergo parochum vel alium sacerdotem adire et peccata sua confiteri ; atque, si digni absolutionis videantur, etiam ante tempus primæ communionis absolvantur. Munus est parochi eos allicere, ut paulatim confiteri assuescant, ac per vitam innocentem præparent corda ad sanctissimum eucharistiæ sacramentum suscipiendum. Quam dolendum esset, si parochi negligentia, longum per tempus, eorum animæ in peccatis et pravis consuetudinibus languescerent ! Quare volumus ut parochi, quantum fieri poterit, saltem bis aut ter in anno eos confitentes audiant, præsertim cum jam incipiunt attingere ætatem primæ communionis, atque ad gratiam absolutionis,

in quantum poterunt, illos præparent, dispositosque absolvant.

§ 7. *Ubi audiendæ sunt Confessiones.*

1. " Sacerdos in ecclesia, non autem in privatis ædibus confessiones audiat, nisi ex causa rationabili, quæ cum inciderit, studeat tamen id decenti ac patenti loco præstare " (Rit. Rom).

2. Habeat tum in ecclesia, pro tempore æstivo, tum in ejusdem sacristia, pro tempore hiemali, sedem confessionalem, in qua confessiones audiat, quæ sedes patenti, conspicuo, et apto ecclesiæ, vel sacristiæ loco posita, crate perforata inter pœnitentem et sacerdotem sit exstructa : nec liceat, extra casum infirmitatis, vel alterius rationabilis causæ, mulierum confessiones excipere, nisi interposita hujusmodi crate.

DECRETUM X.

De Eucharistia.

1. " Omnibus quidem ecclesiæ catholicæ sacramentis religiose sancteque tractandis magna ac diligens cura adhibenda est, sed præcipue in administrando ac suscipiendo sanctissimo Eucharistiæ sacramento, quo nihil dignius, nihil sanctius et admirabilius habet ecclesia Dei : cum in eo contineatur præcipuum et maximum Dei donum, et ipsemet omnis gratiæ et sanctitatis fons auctorque Christus Dominus. " (Rit. Rom.)

2. Salvator enim noster ex hoc mundo transiturus ad Patrem, cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos, et, cœna facta, pridie quam pateretur, instituit sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum, in quo continentur vere, realiter et substantialiter corpus ejus et sanguis, una cum anima et divinitate

3. " Parochus igitur summum studium in eo ponat, ut cum ipse venerabile hoc sacramentum, qua decet reverentia, debitoque cultu tractet, custodiat et administret ; tum etiam populus sibi commissus religiose colat, sancte frequenterque suscipiat, præsertim in majoribus anni solemnitatibus. " (Rit. Rom.)

§ 1. *De dispositionibus ad suscipiendum Eucharistiæ sacramentum requisitis.*

1. Quo magis sanctitas et divinitas cœlestis hujus sacramenti viro christiano comperta est, eo diligentius cavere debet ille, ne absque magna reverentia et sanctitate (quæ potissimum in peccati lethalis immunitate consistit) ad id percipiendum accedat, præsertim cum illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus : *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini.*

2. Quare communicare volenti revocandum est in memoriam ejus præceptum, et Concilii Tridentini decretum : *Probet autem seipsum homo.* Ecclesiastica autem consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione, ad sacram Eucharistiam accedere debeat. Quod a christianis omnibus, etiam ab iis sacerdotibus quibus ex officio incubuerit celebrare, sancta Synodus Tridentina perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia confessarii ; quod si, necessitate urgente, sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur. (Conc. Trid. Sess. 13. Cap. 7.)

§ 2. *De frequenti communione.*

1. Cum nihil habeat christiana religio sacramento Eucharistiæ præstantius et augustius, nihilque ad sancte et inculpate vivendum efficacius ejusdem frequentissima participatione, parochi et verbi divini prædicatores de ejus fructibus et utilitate frequenter disserant, et fidelibus persuadere nitantur, ut omnes et singuli qui christiano nomine censentur, in hoc unitatis signo, in hoc vinculo charitatis, in hoc concordiæ symbolo jam tandem aliquando conveniant et concordent, memoresque tantæ majestatis et tam eximii amoris Jesu Christi Domini nostri, qui dilectam animam suam in nostræ salutis pretium et carnem suam nobis dedit ad manducandum, hæc sacra mysteria corporis et sanguinis ejus ea fidei constantia et firmitate, ea animi devotione, ac pietate et cultu credant et venerentur, ut panem illum supersubstantialem frequenter, et sicuti optaremus cum sacrosancta Synodo Tridentina, in singulis missis, non solum spirituali affectu, sed etiam realiter, suscipere possent. Sic enim certe panis ille divinus vere eis esset animæ vita et perpetua sanitas mentis, cujus vigore confortati, ex hujus miseræ peregrinationis itinere ad cœlestem patriam pervenire valerent, eumdem panem angelorum quem modo sub sacris velaminibus edunt, absque ullo velamine manducaturi. (Conc. Trid. Sess. 13. Cap. 8.)

2. Parochos autem, et illos omnes qui verba habent ad populum christianum, hortamur, ut, quando de dispositionibus ad communicandum requisitis, vel de indigna sacramenti perceptione disserunt, a nimia verborum austeritate declinent, ne forte, mentibus audientium formidine ultramodum concussis, fideles in quam-

dam desperationem incidant; unde a communione prorsus deterreantur. Peroptat igitur hæc Synodus, ut, quoties de sacra Eucharistia agitur, non omittatur equidem quod terreat indignos, sed libentius proferatur quod bene dispositos ad panem vitæ suavissimum alliciat.

3. Circa vero frequentem sacræ communionis sumptionem, parochi ac confessarii hæc ante omnia, sedulo perpendant et observent, quæ habentur in decreto, quod, jubente et approbante Innocentio XI, die 12 februarii 1679, promulgatum est: " Etsi frequens quotidianusve sacrosanctæ Eucharistiæ usus a sanctis Patribus fuerit in Ecclesia probatus, nunquam tamen, aut sæpius illam percipiendi, aut ab ea abstinendi, certos, singulis mensibus aut hebdomadis, dies statuerunt, quos nec Concilium Tridentinum præscripsit, sed quasi humanam infirmitatem secus reputaret, nihil præcipiens, quid cuperet tantum indicavit, cum inquit: *Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut singulis missis fideles adstantes sacramentali Eucharistiæ perceptione communicarent;* idque non immerito, multiplices enim sunt conscientiarum recessus, varia ob negotia spiritus alienationes, multæ e contra gratiæ, et Dei dona parvulis concessa: quæ cum humanis oculis scrutari non possumus, nihil certe de cujusque dignitate atque integritate, et consequenter de frequentiori, aut quotidiano vitalis panis usu potest constitui."

4. " Et propterea quod ad negotiatores attinet, frequens ad sacram alimoniam percipiendam accessus confessariorum secreta cordis explorantium judicio est relinquendus, qui ea conscientiarum puritate, et frequentiæ fructu, et ad pietatem processu, laicis negotiatoribus, et conjugatis quod perspicient eorum saluti profuturum, id illis præscribere debebunt."

5. " In hoc igitur Pastorum diligentia potissimum invigilabit, non ut a frequenti, aut quotidiana sacræ communionis sumptione, unica præcepti formula aliqui deterreantur ; aut sumendi dies generaliter observentur,.... sed magis ut nemo a sacro convivio, seu frequenter, seu quotidie accesserit, repellatur ; et nihilominus dent operam ut unusquisque digne pro devotionis, et præparationis modo, rarius aut crebrius Domini corporis suavitatem degustet. "

6. Ad hoc etiam proderit præter parochorum et confessariorum diligentiam, id prædicatores observare, " ut cum fideles ad sanctissimi sacramenti frequentiam, (quod facere debent) accesserint, statim de magna ad illud sumendum præparatione, orationem habeant, generatimque ostendant, eos, qui ad frequentiorem, aut quotidianam salutiferi cibi sumptionem devoto studio excitantur, debere, sive laici negotiatores sint, sive conjugati, sive quicumque alii, suam agnoscere infirmitatem ut dignitate sacramenti, ac divini judicii formidine discant cœlestem mensam, in qua Christus est, revereri, et si quando se minus paratos senserint, ab ea abstinere, seque ad majorem præparationem accingere. "

7. Istud vero maxime " ab eorum officio postulari sibi persuadeant, tum concionatores, tum confessarii, nulli labori aut diligentiæ parcendum, ut omnis irreverentiæ et scandali suspicio in veri et immaculati Agni perceptione tollatur, virtutesque et dona in sumentibus augeantur. Quod abunde continget, si ii, qui devoto hujusmodi studio, divina præstanti gratia, tenentur, seque sacratissimo pane frequentius refici cupiunt, suas vires expendere, seque probare cum timore, et charitate assueverunt. " (Sacr. Congr. Conc. 12 Febr. 1679).

8. Quod autem ad dispositiones suscipientium attinet,

monemus in primis confessarios ne frequentem ad Eucharistiam accessum iis, aut suadeant aut permittant, qui in gravia peccata sæpe labuntur, nec de pœnitentia peragenda suaque vita emendanda sunt solliciti, sicuti nec illis qui, etsi gravia evitent crimina, voluntatem tamen habent venialibus inhærentem : qua de re legenda sunt quæ scripserunt probati auctores, inter quos commendamus S. Alph. M. de Ligorio.

§ 3. *Quibus deneganda est Eucharistia.*

1. Quod vero ad eos qui a sanctissimæ Eucharistiæ participatione arcendi sunt, servetur quod præscribit Rituale Romanum.

2. Illos autem qui morte plectendi sunt, nedum inter repellendos recenseamus, judicamus contra et volumus admittendos, modo vere pœnitentes sint, ideoque una ex diebus quæ præcedent, puta pridie executionis, si fieri possit, aut etiam ejus ipsa die, quando nihil indecentiæ timendum erit sacramento, conferatur eis Eucharistia, qua ad dolores mortis, resignato et patienti animo, sustinendos mirifice adjuvabuntur.

§ 4. *De Eucharistia administranda.*

Sancta Eucharistia administretur, quantum fieri potest, intra missarum solemnia, nec ante, nec post missæ celebrationem, sine rationabili causa.

§ 5. *Lampas ante SS. Sacramentum.*

Ante Sanctissimum Sacramentum lampas diu noctuque luceat, nisi pro tempore Episcopus, ex indulto Sedis Apostolicæ, dispensaverit.

§ 6. *Communio Paschalis.*

Parochi dent operam ut omnes tempore paschali communicent. Ad hoc denuntient opportune populo constitutionem Concilii Lateranensis sub Innocentio III., quæ incipit his verbis: *Omnis utriusque sexus, etc.* Inde doceantur fideles sibi incumbere obligationem semel saltem in anno, in paschate, atque in propria parochia communicandi.

§ 7. *Communio infirmorum.*

1. " Infirmis qui in periculo mortis probabili et proximo, quamvis non actuali et imminente, versantur, viaticum corporis Domini Nostri Jesu Christi, summo studio ac diligentia, opportuno tempore, deferendum est, ne forte contingat illos tanto beneficio, incuria sacerdotis privatos decedere. Perseverante periculo mortis, iterari potest viatici administratio, quin etiam parochi debent, ut monet Benedictus XIV, Pontifex Maximus, sanctissimam Eucharistiam iterato deferre ad ægrotos, qui, perseverante morbi eodem periculo, illam sæpius per modum viatici, cum naturale jejunium servare nequeant, percipere cupiunt. " (De Synod. Diœc., lib. VII. cap. XII. §. 4.)

2. Non a recipiendi viatici lege eximitur quicumque, seu devotionis causa, seu ut præceptum paschale impleret, Corpore Domini assumpto, paulo post, in gravem morbum inciderit.

3. Nec deneganda Eucharistia est, imo potius conferenda, pueris qui primæ communionis ætatem nondum adepti, ad usum tamen rationis pervenerunt, modo edocti, prout tempus permiserit, cibum cœlestem et supernum a communi et materiali discernere queant.

5

4. Cum autem infirmis est ministranda, quanta præstari potest veneratione, pro temporis vel locorum circumstantiis deferatur, comitantibus fidelibus ad hoc salutare pietatis obsequium frequenter invitatis.

§ 8. *De sacrificio Missæ.*

1. " Quanta cura adhibenda sit, ut sacrosanctum Missæ sacrificium omni religionis cultu ac veneratione celebretur, ait Tridentina Synodus, quivis inde facile æstimare poterit, qui cogitarit, maledictum in sacris litteris eum vocari, qui facit opus Dei negligenter. Quod si necessario fatemur nullum aliud opus adeo sanctum ac divinum a Christifidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium, quo vivifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari per sacerdotes quotidie immolatur, satis etiam apparet omnem operam et diligentiam, in eo ponendam esse ut quanta maxima fieri potest interiori cordis munditia, et puritate atque exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur " (Conc. Trid. Sess. 22. Decret. de observ. in celebr. Miss.)

2. Tanta ergo gravitate, tanto religionis cultu, Missæ sacrificium celebrent, ut per visibilem ministri pietatem invisibilia æterni sacerdotis mysteria conspiciantur. Nihil igitur obiter in hac divina actione, nihil perfunctorie, nihil præcipitanter, nihil inconditis gestibus, omnia vero graviter, omnia secundum ordinem fiant, juxta receptos et approbatos Ecclesiæ ritus, qui vel in minimis, sine peccato negligi, omitti vel mutari haud possunt.

3. " Pia enim mater Ecclesia, " prout docet eadem sancta Synodus, " ritus quosdam et cæremonias " in missa servandas instituit, " quo et majestas tanti sacri-

ficii commendaretur, et mentes fidelium per hæc visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur." (Conc. Trid. Sess. 22. c. 5.)

4. Horum igitur sacrorum rituum leges, quæ rubricarum nomine censentur, presbyteri accurate addiscant, apprimeque calleant ac attentissime servent; nec illos commentarios, qui de istis sacris ritibus a piis et eruditis viris conscripti sunt, legere omittant, dictasque cæremonias frequenter inter missarum celebrationem exponere, ut earum sanctitas et significatio ab omnibus agnoscantur.

DECRETUM XI.

De sacramento Extremæ Unctionis.

1. Clementissimus Redemptor Noster, qui servis suis, quovis tempore, voluit de salutaribus remediis adversus omnia omnium hostium tela esse prospectum, quemadmodum auxilia maxima in sacramentis aliis præparavit, quibus christiani conservare se integros, dum viverent, ab omni graviore spiritus incommodo possint, ita Extremæ Unctionis sacramento finem vitæ tanquam firmissimo quodam præsidio munivit.

2. " Unde Extremæ Unctionis sacramentum, a Christo Domino institutum, tanquam cœlestis medecina, non animæ solum, sed etiam corpori salutaris, omni studio ac diligentia, periculose ægrotantibus adhibendum est, et eo quidem tempore, si fieri possit, cum illis adhuc integra mens et ratio viget, ut ad uberiorem sacramenti gratiam percipiendam, ipsi etiam suam fidem ac piam animi voluntatem conferre possint, dum sacro liniuntur oleo." (Rit. Rom.)

3. Ut autem ad id facilius perveniant, parochi moneant tanti sacramenti contemptum, absque ingenti scelere et ipsius Spiritus Sancti injuria, esse non posse, atque conentur ex hominum animis evellere falsam illam opinionem, qua plerique hoc sacramentum, quasi supremam horam portendat, vel etiam acceleret, sibi suisque reformidant.

4. Parochus caveat ne, sua culpa, quisquam suorum moriatur sine Extrema Unctione. Quosquos igitur periculose ægrotantes compererit benigne urgeat ad postulandum, cum adhuc integra mente et ratione sunt, tam opportunum Dei miserentis auxilium, siquidem cunctando periculum incurrunt, vel sine illo moriendi, vel illud in extremis, jam deficiente sensu, cum minore fructu percipiendi.

§ 1. *Quibus conferenda vel deneganda est Extrema Unctio.*

1. Extrema Unctio, utpote sacramentum vivorum, requirit in suscipiente gratiam sanctificantem ; quapropter administrationi ipsius præire debet confessio, quantum fieri potest, vel saltem absolutio.

2. " Debet autem hoc sacramentum infirmis præberi, qui, cum ad usum rationis pervenerint, tam graviter laborant ut periculum mortis imminere videatur, et iis qui præ senio deficiunt, et in diem videntur morituri, etiam sine alia infirmitate." (Rit. Rom.)

3. "Infirmis autem qui, dum sana mente et integris sensibus essent, illud petierint, seu verisimiliter petiissent, seu dederint signa contritionis, etiamsi deinde loquelam amiserint, vel amentes effecti sint, vel delirent, aut non sentiant, nihilominus præbeatur." (Rit. Rom.)

4. Conferatur pariter pueris qui, etsi ad sacram communionem nondum admissi, ad eam tamen pervenerunt ætatem, in qua peccati probabiliter præsumuntur capaces.

5. " Impœnitentibus vero, et qui in manifesto peccato mortali moriuntur," hæreticis manifestis, " excommunicatis et non baptizatis, penitus denegetur. " (Rit. Rom.)

6. " In eadem infirmitate hoc sacramentum iterari non debet, nisi diuturna sit, ut cum infirmus convaluerit, iterum in periculum mortis incidit. " (Rit. Rom.)

7. Sacrum Oleum infirmorum cum magna religione tractetur atque servetur. Habeat igitur illud parochus diligenter custoditum, loco nitido et decenter ornato, in vase argenteo seu stanneo, ab aliis vasculis speciali inscriptione distincto ; quod quidem Oleum singulis annis, feria V. in Cœna Domini, ab Episcopo benedictum, veteri combusto, renovandum est.

§ 2. *De Visitatione infirmorum.*

Infirmi, etiam cum jam sunt sacramentis Eucharistiæ et Extremæ Unctionis refecti ac roborati, adhuc egent ope et benigno auxilio pastorum suorum. Meminerint ergo parochi, et omnes sacerdotes quibus incumbit animarum cura, se ex officio suo teneri ad illos, quantum fieri potest, frequenter visitandos. Equidem, si christianis omnibus infirmorum visitatio et consolatio a Christo Domino proponatur tanquam charitatis officium super quo judicandi sunt, quanto magis id inter præcipua sollicitudinis sacerdotalis munia recensendum est. Perpendant ergo attente, serventque diligenter monita mirabili sapientia ac pietate referta, quæ ipsis, de hac visitatione et cura infirmorum, traduntur in Rituali Romano, ad quod eos hic remittimus.

§ 3. *De sepultura ecclesiastica.*

1. Juxta leges canonicas, corpora fidelium sepelienda sunt ministerio sacerdotis, Ecclesiæ preces et ritus adhibentis.

2. Fideles igitur de hoc ultimo et justo pietatis erga suos officio sollicite provideant.

3. Parochi vero curent ut cuncta fiant juxta ordinem præscriptum, et omnes cæremoniæ et preces, quibus sancta mater Ecclesia Catholica in filiorum exsequiis uti solet, religiose serventur ad normam Ritualis Romani.

4. Cœmeteria debent episcopi, vel presbyteri rite deputati, benedictione sanctificare.

5. Sint, ad normam sacrorum canonum, clausa; nullis usibus profanis pateant.

6. Distinctus in eis assignetur locus non benedictus, sed muro, aut sepe, aut effossione, a parte benedicta separatus, eis destinatus qui, de jure, sepultura ecclesiastica privantur.

DECRETUM XII.

De sacramento Ordinis.

1. Sacrificium et sacerdotium ita Dei ordinatione conjuncta sunt, ut utrumque in omni lege exstiterit. Cum igitur in Novo Testamento sanctum Eucharistiæ sacrificium visibile, ex Domini institutione, Ecclesia acceperit; fateri etiam oportet, in ea novum esse visibile et externum sacerdotium in quod vetus translatum est.

2. Quamvis autem omni tempore summam dignitatem obtinuerint, tamen Novi Testamenti sacerdotes cæteris omnibus honore longe antecellunt. Potestas enim tum

corpus et sanguinem Domini Nostri conficiendi et offerendi, tum peccata remittendi, quæ illis collata est, humanam quoque rationem atque intelligentiam superat.

3. Declarat ergo Synodus hujus tanti officii onus nemini temere imponendum esse, sed iis tantum, qui illud vitæ sanctitate, doctrina, fide, prudentia, sustinere possint. Nec quisquam sumet sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron.

4. Itaque valde exoptant Patres Concilii ad clericos pietate et scientia melius informandos, ut tribus annis, post exantlatum philosophiæ cursum, in majori seminario obedientiæ et sacris litteris se exerceant. Cum, antequam ordinentur, clerici interdum in parœcia sua commorantur, eorum agendi rationi incessanter invigilent parochi, ne lupi rapaces gregem invadant: caveant magnopere ne bonum de illis reddant testimonium, nisi pia conversatione digni habeantur. Itaque animarum rectores synodus vult monitos gravis culpæ reos fore, qui episcopum monere negligerent cum tanto Ecclesiæ damno.

5. Si quis aliorum sacramentorum naturam et rationem diligenter considerarit, facile perspiciet ea omnia ab ordinis sacramento ita pendere, ut sine illo partim confici et administrari nullo modo queant, partim solemni cæremonia et religioso quodam ritu ac cultu carere videantur. Quare necesse est ut Pastores, institutam sacramentorum doctrinam persequentes, eo diligentius de Ordinis etiam sacramento sibi agendum arbitrentur.

DECRETUM XIII.

De sacramento Matrimonii.

Fidelium matrimonium, a Deo in officium naturæ ab initio institutum, fuisse postea a Christo Domino elevatum ad dignitatem veri et proprii sacramenti Novæ Legis, causantis gratiam ex opere operato, veritas catholica est, ut continetur in Instructione Eugenii IV, pro Armenis, atque in Tridentina Synodo quæ, *Sess.* 24. *de Reform. matrim.*, sic docet : " Cum matrimonium, in lege evangelica veteribus connubiis, per Christum gratia præstet, merito inter Novæ Legis sacramenta annumerandum sancti Patres, Concilia et universalis Ecclesiæ traditio, semper docuerunt " : et *ibid,* can. 1. definit : " Si quis dixerit, matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem Legis evangelicæ sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, anathema sit."

§ 1. *De servandis Ecclesiæ circa Matrimonium ritibus.*

Cum igitur adversus hanc fidei veritatem multi impii homines hujus sæculi insanientes, non solum perperam de hoc venerabili sacramento senserunt, sed de more suo, prætextu Evangelii, libertatem carnis introducentes multa ab Ecclesiæ catholicæ sensu et ab Apostolorum temporibus probata consuetudine aliena, scripto et verbo asseruerunt, non sine magna Christifidelium jactura, nos eorum temeritati cupientes occurrere, statuimus de sacramento Matrimonii quæcumque Patres Tridentini, summique Pontifices decreverunt, in omnibus ac singulis hujus provinciæ ecclesiis religiose observari.

§ 2. *De impedimentis canonicis matrimonium dirimentibus.*

1. Ecclesiam semper potuisse ac posse in christianorum matrimoniis, jure proprio, impedimenta constituere quæ non solum impediant matrimonium contrahendum, sed et nullum reddant quoad vinculum, atque causas matrimoniales spectare ad judices ecclesiasticos, etiam definitum est ab eadem sacrosancta Tridentina Synodo, *ibid. Sess.* 24. *de reform. matrim.*

2. Hinc docemus ea nulla esse et invalida, non solum quoad sacramentum, sed etiam quoad vinculum seu contractum naturalem, matrimonia quæ cum impedimento dirimente canonico contrahuntur.

3. Hinc contra, declaramus tanquam valida habenda esse, quæcumque fiunt juxta sanctiones canonicas.

4. Parochi moneant fideles de iis quæ lege sæculari præscripta sunt, ne matrimonium careat effectibus civilibus, vel alia inde eveniant incommoda.

§ 3. *De officio parochi circa celebrationem matrimonii.*

1. " Parochus igitur admonitus de aliquo matrimonio in sua parochia contrahendo, primum cognoscat qui et quales sint qui matrimonium contrahere volunt : an inter eos sit aliquod canonicum impedimentum : utrum sponte, libere, et secundum honestatem contrahere velint : utrum sint in ætate legitima, et an uterque sciat rudimenta fidei, cum ea deinde filios suos docere debeant " (Rit. Rom.).

2. " Noverit quæ sint canonica impedimenta matrimonii contrahendi, et quæ contrahendi, et quæ contractum dirimant : et qui sint gradus consanguinitatis et

affinitatis, et item cognationis spiritualis, ex baptismo vel confirmationis sacramento contractæ. " (Rit. Rom.)

3. " Habeat in primis ipse bene cognita præcepta illa omnia quæ in matrimoniis rite conficiendis servari oportere, sacri canones, et præcipue sancta Synodus Tridentina jussit ; detque operam ut illa omnia in sua parochia accurate exacteque serventur. " (Rit. Rom.)

§ 4. *De proclamatione matrimonii.*

1. " Antequam matrimonium contrahatur ter, a proprio contrahentium parocho, tribus continuis diebus festivis, in ecclesia, inter missarum solemnia, publice denuntietur inter quos matrimonium sit contrahendum. Quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum impedimentum opponatur ad celebrationem matrimonii, in facie ecclesiæ procedatur " (Conc. Trid, Sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 1) ; " sed si quid obstat, ultra parochus non procedat. " (Rit. Rom.)

2. Hinc si noverit impedimentum aliquod adesse, nedum dirimens, sed vel duntaxat impediens, debet assistentiam suam denegare, statimque recurrere ad superiorem qui opportune consulere et providere valeat.

3. Si vir et mulier ad diversas parochias pertineant, in utraque parochia fiant denuntiationes.

4. Si sponsi non semper commorati sunt in parochia quam nunc incolunt, denuntietur insuper matrimonium in ea ex qua veniunt, nisi habeant domicilium sex mensium in parœcia, in qua versantur. Servetur hæc regula etiam erga eos qui ex aliena veniunt diœcesi.

5. Si sint minores, banna publicentur in parœcia ubi exstant et in parœcia eorum quorum auctoritati subsunt. De majoritate et minoritate relative ad proclamationes standum est legi civili.

6. Si vero infra duos menses post factas denuntiationes matrimonium non contrahatur, denuntiationes repetantur." (Rit. Rom.)

§ 5. *De celebratione Matrimonii.*

1. In locis ubi jam publicatum est decretum *Tametsi* moneantur fideles, eos qui aliter quam, præsente parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi vel ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt, ex hoc Concilii Tridentini decreto, ad sic contrahendum omnino inhabiles irritosque, et nullos esse hujusmodi contractus.

2. Est autem proprius parochus is, in cujus parochia vir seu mulier habet domicilium aut quasi-domicilium.

3. Si sponsi non sint ejusdem parochiæ, decet quidem ut celebretur matrimonium in parochia mulieris: nihilominus ea de re nullatenus inquietandi sunt a parochis. Ad celebrationem autem matrimonii non procedat parochus, nisi constiterit banna proclamata fuisse ubi de jure proclamari debent, aut a facienda proclamatione fuisse dispensatum.

4. Sponsi, quando duplex habent domicilium, alterutrum eligere possunt ad sui matrimonii celebrationem, servatis ad proclamationem bannorum præscriptis.

5. Quoad vagos qui nulla aut nonnisi incertas habent sedes, contrahere debent coram parocho loci in quo degunt, dum contrahunt. At juxta præceptum Sanctæ Tridentinæ Synodi, caveant parochi, ne illorum matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, et re ad ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint (Sess. 24. de Reform. cap. 7).

6. Matrimonio non jungantur qui rudimenta christianæ doctrinæ penitus ignorant.

7. Pastores animarum monemus ut, sui officii memores, omnem adhibeant sollicitudinem ad rite disponendos fideles qui sacramentum Matrimonii suscipere volunt.

8. Admoneant conjuges, ut antequam contrahant, in eadem domo non cohabiter[illegible] item ut sua peccata diligenter confiteantur, et a[illegible]ctissimam Eucharistiam atque ad Matrimonii sacramentum suscipiendum pie accedant, et, quomodo in eo rite et christiane conversari debeant, diligenter eos edoceant.

9. Matrimonium in ecclesia celebretur ; atque omnia serventur quæ pro ipsius celebratione, tum in Rituali, tum in Missali Romano præscribuntur.

DECRETUM XIV.

De vita et honestate Clericorum.

1. Tridentinorum Patrum vestigiis insistentes, omnes et singulos in sacris ordinibus constitutos admonemus, ut semper memores sint " nihil esse quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt. Cum enim a rebus sæculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tanquam in speculum reliqui oculos conjiciunt, ex iisque " exemplum " sumunt quod imitentur. " (Sess. 22. de Reform. cap. 1.)

2. " Quapropter sic decet omnino clericos in sortem Domini vocatos, vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus, nil, nisi grave, moderatum ac religionis plenum præ se ferant ; levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. " (Ibid.)

3. Sint igitur sobrii, prudentes, ornati, pudici, fiant ex animo forma gregis, exemplum sint fidelium, in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate : ita ut eorum vita communis sit omnium disciplina ; quatenus per tacitam prædicationem bonæ vitæ malos redarguant, vitiosos erubescere cogant, et os loquentium iniqua obstruatur.

4. Ut autem fervor pietatis in eorum animis foveatur ampliusque in dies exardescat, præter devotam divini officii recitationem, curent frequentem sacramenti pœnitentiæ usum, quotidianum conscientiæ examen, piasque lectiones nunquam negligere. Et quoniam *desolatione desolata est omnis terra quia nullus est qui recogitet corde* (Jerem. 12. 11.), ideo mentali orationi quotidie incumbant, ita ut proprio experimento discentes quot et quanti spiritales fructus ex sancta meditatione fluant, ad illam etiam devotos fideles efficaciter informare possint.

5. Sed impossible est ut de mundano pulvere non aliquantisper etiam religiosa corda sordescant : singulis igitur annis non prætermittant spiritualibus exercitiis operam dare, et pastoralibus secessibus, quos indixerit episcopus, interesse sedulo curent, ut hic, si quæ maculæ ipsis adhæserint, abstergi possint, et inde mentis acies ad cœlestia contemplanda vividior, et voluntatis vires ad omne opus bonum amplectendum et persequendum firmiores evadant.

6. Bonum ex integra causa ; malum ex quolibet defectu. Bene ergo omnia faciant, tanquam veri imitatores Christi ; bonum secundum ordinem operentur ; certam vitæ regulam habeant, nec ab ea recedant nisi quædam imperet necessitas aut charitas urgeat.

7. Ejusdem sacrosancti Concilii Tridentini decretis inhærentes, præcipimus clericos vestes proprio con-

gruentes ordini deferre, ut per decentiam habitus extrinseci, honestatem intrinsecam ostendant. Itaque, non nisi tonsura insigniti vesteque talari nigri coloris superinduti incedant. Si qui in itinere constituti nequeant absque gravi incommodo supradictam vestem retinere, saltem induantur veste oblongiori, ejusdem coloris, hujusque formæ, unde eorum modestia omnibus innotescat: et ipsi gravitatis, honestatisque clericalis perpetuo et ubique meminerint.

8. Et quoniam munia ecclesiastica nequeunt, nisi cum injuria in Deum, salutis detrimento, et Ecclesiæ dedecore ab ignaris exerceri, omnibus clericis strenue demandamus ut attendant lectioni et doctrinæ, ac scientiæ sacræ acquirendæ perseveranter se tradant. Caveant autem ne sub omni sciendi desiderio quoscumque libros aut potius libellos velint acquirere, domi retinere, vel cum animæ suæ detrimento legere: damnatos et vetitos libros respuant ac penitus rejiciant, nec alios habeant nisi sanam et probatam doctrinam continentes, modestiæ saltem et honestati consentaneos, quos ita testamento relinquere possint, ut, etiam post mortem, ecclesiæ utiliter inserviant.

9. Bonorum autem studiorum zelum et amorem maxime promovebunt collationes ecclesiasticæ. Neminem enim latet quanta sit ipsarum utilitas non solum ad mutuam inter sacerdotes charitatem confovendam, sed etiam ad ipsos in doctrina sacra informandos confirmandosque. Vehementer igitur optamus ut clerici omnes, maxime vero muniis pastoralibus addicti, hisce collationibus ecclesiasticis fideliter assistant ac strenue collaborent, eo modo et tempore quo ab antistite suo jam ordinatæ sunt, aut in posterum sunt ordinandæ.

10. " Ut secure præesse possint sacerdotes," ait S.

Bernardus, "subesse et ipsi cui debent non dedignentur." Episcopo igitur suo obediant, eique subjaceant: ipsi reverentiam promissam, et debitum obsequium, semper, ubique et in omnibus præstent. Quidquid vetat, fugiant; quidquid mandat, prompto et alacri animo fideliter exsequantur, ita ut omnes, humili subjectione, summaque animarum cum episcopo consensione, collatis in unum studiis, *in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi*, vires suas unanimiter impendant.

11. Clericos insuper obsecramus in Domino, ut omnes ad eamdem ministerii sortem vocatos tanquam fratres habeant, eosque charitate prosequantur. Sint omnes unanimes, inter se concordes, *id ipsum sentientes, honore invicem prævenientes.* Infirmos in fide et pietate relevent et sustineant, afflictos consolentur, delinquentes blande ac suaviter admoneant, absentes obtrectatione ne lacerent, sed magis excusent: *omnia charitate fiant.*

12. De bonis propriis, si quæ habeant, non negligant prudenter ac opportune testamentum conficere, ne unquam litibus, vel discordiis occasionem præbeant, ac etiam ne, quod Christi pauperibus aut Ecclesiæ relinquere debent, transeat ad familiam ditandam.

13. Memores vocationis suæ sanctæ, qua vocavit eos Deus, ad collaborandum Evangelio, alteque in animo infixum habentes, se non ad otium et ignaviam, sed ad salutares pro Ecclesia Dei et animarum salute labores obeundos esse vocatos, sacerdotes Domini fugiant otiositatis et ignaviæ vitium, quo nihil a viro ecclesiastico magis alienum esse debet, quodque tam multorum malorum fons est et origo.

14. Christi mansuetudinis imitatores, non obliviscantur quæcumque sanxerunt canones, sive de venatione, sive de medicinæ et chirurgicæ exercitio.

15. Quia nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat cui se probavit, caveant ne, contra sacros canones, lucri causa, negotientur ; et multo magis quidquid usuræ speciem ferret.

16. Omnem avaritiam fugiant, scientes quod qui volunt divites fieri incidunt in varias tentationes, et in laqueum diaboli : radix omnium malorum est cupiditas, in omnibus quidem, maxime vero in sacerdotibus.

17. Paupertatis amatores, ne thesaurizent sibi thesauros in terra : modestiæ ac sanæ mediocritatis sectatores, sordidam negligentiam æque ac sæculi pompam, in vestitu, in supellectili et in omnibus sedulo devit nt.

18. Caveant summopere ne pro aliis fidejussores se constituant, nisi patrimonium ad id sufficiens habeant ; et ne graventur ære alieno, semper invigilent.

19. Publicis spectaculis non intersint ; illos actus fugiant qui sive mundanitatem, sive immodestiam, sive intemperantiam redolerent, a mundanarum personarum societate, a conversationibus, choreis, aliisque illicitis lusibus, ac demum ab omnibus quæ sacerdotem non decent omnino abstineant.

20. Cum mulieribus omnem consuetudinem devitent, quæ offendiculum parere possit. Quoad ancillas, vel etiam consanguineas, ea quæ sapienter præscripsere canones, atque statuta sive provincialia, sive diœcesana, de ipsarum ætate aliisque dotibus, religiose servent ; ut sic non solum ab omni malo, sed etiam ab omni specie mali, caveatur.

21. Denique Sanctissimi Domini Nostri Pii Papæ IX verba usurpantes, viros omnes ecclesiasticos hujus Provinciæ monemus, hortamur et excitamus quo orationi instantes, spiritu ferventes, ac pie sancteque viventes, præbeant in omnibus seipsos exemplum bonorum ope-

rum; et Dei gloriæ et animarum salutis zelo incensi atque arctissimo inter se charitatis vinculo obstricti, accipiant armaturam Dei et concordissimis animis, conjunctisque viribus, sub proprii Antistitis ductu, in aciem prodeant et prælia Domini fortiter prælientur (*Allocut. Maii* 1850).

DECRETUM XV.

De Parochis et aliis animarum curam gerentibus.

1. Parochi et sacerdotes alii omnes, ad excolendam Domini vineam, tanquam Episcoporum adjutores missi, alte in animo infixum habeant, se sublime tremendumque ministerium exercere, atque sua magni ponderis esse officia. Ab ipsis namque animarum quas suo sanguine Christus redemit cura geritur, et redemptionis æternæ divinum opus continuatur.

2. Sint igitur operarii inconfusibiles, et pastoralis ministerii partem sibi demandatam, omni diligentia et opere, adimpleant, quasi villicationis suæ rationem redditurì.

3. Meminerint in primis se dispensatores esse mysteriorum Dei, et ideo, vi officii, debere sacramenta, quoties rationabiliter petita fuerint, administrare omnibus sibi commissis, maxime vero ægrotis, quorum cura non postremas sui muneris partes constituit. Quare cum primum noverit quempiam ex parœciæ suæ fidelibus periculose ægrotare, non exspectabit parochus ut ad eum vocetur, sed ultro ad eum accedat, idque non semel tantum, sed quoties opus fuerit; horteturque parochianos suos ut ipsum admoneant, cum aliquem in parochia ægrotare contigerit, præcipue si morbus gravior fuerit.

4. Quia bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis, nedum, mercenarii more, sibi commissos deserat parochus, ubi contagiosum morbum grassantem viderit, illis tunc sollicitus invigilabit; quod quidem præteritis temporibus semper, nostris vero præsertim, fecit hujus Provinciæ Clerus, toti Ecclesiæ lætitiam et ædificationem afferens, sibique sæculi ipsius hominum plausus et admirationem concilians.

5. Perpetuo igitur et personaliter resideat in parœcia sua, nisi aut christiana charitas, aut urgeat necessitas, aut debita obedientia, aut alia quævis legitima causa illum abesse cogant; tunc vero attente provideat ut ex absentia, quantumvis brevi, nullum detrimentum patiantur parochiani; quod si, intra tempus absentiæ, comprehendatur dies Dominica, prius petatur et obtineatur Episcopi vel ejus Vicarii Generalis licentia, aut, si non permittat urgentia causæ, in ipso saltem discessu moneatur Episcopus.

6. Sed quia parum prodesset hæc corporalis præsentia sine verbi divini prædicatione, ideo parochi meminerint horum Apostoli verborum: *Prædica verbum. Argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina.* Per se igitur, vel alios idoneos si legitime impediti fuerint, diebus saltem Dominicis et festis solemnibus, fideles sibi commissos, pro eorum captu pascant salutaribus verbis, docendo quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque eis, cum brevitate et simplicitate sermonis, vitia quæ eos declinare et virtutes quas sectari oporteat.

7. Omnia et singula hæc Concilii Tridentini verba sedulo perpendentes, studeant ut clare, distincte, sermone castigato quidem, sed rudibus etiam intelligibili, maturaque præparatione, verbum Dei prædicent; certum

ordinem instituant in serie concionum suarum, saltem tempore Adventus et Quadragesimæ, puta explicando, aut fidei symbolum, aut præcepta Decalogi, aut sacramenta juxta normam Catechismi Concilii Tridentini, ut veritates christianæ in mentibus fidelium inter se cohæreant, et altius infigantur.

8. In concionibus vero, a rebus politicis, quæstionibus et controversiis inter sæculares agitatis, sedulo abstineant: de propriis querelis et acceptis injuriis non disserant; vitia, non personas insectentur; neminem personaliter lædant; sed veram Dei æmulationem habentes, nec sua, sed quæ sunt Jesu Christi quærentes, ea tantum quæ decent sanam doctrinam loquantur.

9. Cum autem omnibus omnia fieri debeat parochus, et nulla spes esse possit, vel emendandæ, vel in bono stabiliendæ parœciæ, nisi pueri rudimentis fidei diligenter et assidue imbuantur, ideo juxta decretum Concilii I. hujus Provinciæ, Catecheses, prævia semper et sufficienti adhibita præparatione, fiant, quoad possibile sit, Dominicis saltem et aliis festivis diebus, usque ad annum primæ Communionis, qua propinquante jam fieri debent pluries in hebdomada, eoque ardentiori zelo hoc munus adimpleatur, quo tepidius hac in re sese gerunt multi parentes.

10. Id ergo admodum persuasum habeat parochus has catechesis institutiones inter præcipua sua officia merito recenseri; nec se muneri suo satisfecisse existimet si, quasi perfunctorie, perpetuo recitationis circulo, nulla interjecta explicatione ad veritates christianas illustrandas, magisque puerorum mentibus inculcandas, nulla adhibita exhortatione ad eorum corda divini amoris dulcedine movenda, rem conficiat.

11. Pueros, postquam rationis usum attigerint, ad

pœnitentiæ tribunal benigne alliciat parochus, eorumque confessiones identidem primum, deinde frequentius excipiat, ubi primæ Communionis tempus instantius fuerit. Illos ad quotidianas preces Deo pie fundendas, necnon ad pietatem christianam excitet, informetque, ne excidant ab innocentia, et si invenerit illos in vitiorum cœno jacentes, contendat omnimodo insinuare illis quæ necessaria sunt ad absolutionem sacramentalem quam impertietur illis, non habita ratione ætatis, modo requisitas habeant dispositiones.

12. Præterea, cum doctrina christiana, haud satis mentibus insculpta, oblivioni citius tradatur, nullum admittat puerum ad sacram synaxim, qui non ad convenientem pervenerit ætatem, nec regulariter, nisi assidue interfuerit catechesibus, per totum tempus decreto Concilii Provincialis I. præscriptum.

13. Peracta vero prima Communione, pueris invigilare non desinat, quin potius majori illos circumdet sollicitudine, utpote multiplici tentationum generi obnoxios, nihilque omittat ut frequenti Sacramentorum usu in bono proposito perseverent. In quantum fieri poterit, illis, Dominica qualibet die, fusius evolvat quas antea brevius exposuerat veritates, sicque paratus ad hoc munus accedat, ut animos audientium ipsa rerum explicatione attentiores reddat.

14. Personarum, quæ Deo specialiter inserviunt, devotionem fovere augereque studeat, ut paulatim illarum numero aliæ aggregentur, quæ pietati pariter incumbant: caveat tamen ne, perfectioni paucorum intentus, cæteros negligat parochianos. Si non adsit in parœcia pars illa melior gregis, huic efformandæ indesinenter allaboret. Ad hoc autem assequendum maxime eum juvabunt solemnia exercitia spiritualia (*les retraites so-*

lennelles) populo suo opportune tradita, piarumque confraternitatum institutio.

15. Nec prædicatione tantum, sed et oratione assidua gregem suum adjuvet, applicetque ei fructum sacrosancti Missæ sacrificii, diebus dominicis et festivis per annum ; nec unquam omittat memoriam ejus facere in omnibus sacrificiis et orationibus suis.

16. Quos habuerit in adjutorium officii vicarios parochus, paterna benignitate, ad pietatem et virtutes ecclesiasticas informet, tum monitis, tum exemplis, necnon ad ministerium rite implendum, ab iisque, in quantum poterit, omnia removeat animæ pericula.

17. Quocirca sedulo advertere debet quod licet, ex communi Ecclesiæ usu invaluerit, atque etiam ex speciali decreto primi hujus Provinciæ Concilii, indultum sit ut avia, aut mater, aut soror, aut amita, cum sacerdote commorari possint, si tamen in eadem domo versantur alii presbyteri, præfatas mulieres ætatem canonicam attigisse omnino requiratur.

18. Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit. Parochus ergo in familia, sive constituenda, sive regenda, valde provisus sit, cautus ac circumspectus.

19. Equidem sicut virtutibus Christianis omnibus eminere debet sacerdos, ita filiali pietate. Cum vero sit homo Dei, et in eis quæ Dei sunt illum esse oporteat, familiæ suæ curis non posset implicari, quin sacri hujus muneris perfectioni deesset. Ideo totius hujus Provinciæ presbyteros hortamur, non sane ut parentes negligant, egenos potissimum, vel ætate caducos, sed ne suorum nimiæ sollicitudini indulgeant, neque eos nimio numero retineant in presbyterio commorantes, nec locupletare affectent, nec in parochiæ administrationem sese inge-

rere permittant. Sit ergo parochus domui suæ bene præpositus, ut inveniat gratiam coram Deo et hominibus, et odor vitæ ejus fiat Ecclesiæ Christi delectamentum.

20. Quia vero scriptum est: "*Zelus domus tuæ comedit me,*" caute curet ut in templo Dei nihil squalidum sit; sed omnia munda appareant; sæpe ergo sordes ejiciantur, expurgentur a pulvere parietes et altaria; vasa sacrificii, sacraque linteamina, necnon paramenta sacerdotalia nitore resplendeant; imo ecclesiam suam ornare studeat parochus, prout sese offeret occasio, sic tamen ut nihil peritorum oculos offendat.

21. Invigilet etiam vitæ et moribus juniorum Clericorum qui intra parœciæ fines degunt, tempore quo seminaria vacant.

22. Nec parvi momenti esse existimet, si pueros quosdam bona indole præditos, et indicia præbentes ex quibus judicari possint idonei ad sacerdotium, ad pietatem singulari studio instruat, primis scientiæ, sacrarumque disciplinarum elementis imbuat, atque, si opus fuerit, etiam ex propria pecunia adjuvet, quo studiorum curriculum in aliquo minori seminario prosequi possint, et sic tandem ad clericale tyrocinium pervenire. Quo enim amplius leviticam illam tribum multiplicabit, eo jucundius Deo præstabit obsequium, eo magis Ecclesiam Christi lætificabit, regnumque Christi dilatabit.

23. Pari utatur vigilantia erga personas Deo dicatas, si quæ existant in parœcia; sed mulieres sobrie alloquatur, et invisat, ut decet Dei ministrum.

24. Religiosa juventutis educatio ad Ecclesiam, utpote Christianorum matrem, ac magistram, ex ipsa Dei institutione spectat; nam omnis sexus, omnis ætas in his verbis Christi: "*Docete omnes gentes,*" includitur.

25. Inde scholas instituere, iisque optimæ notæ ma-

gistros sufficere, animarum pastor sui muneris esse memor sit. Scholas ergo puerorum interdum visitet, non quidem censoris importuni vices gerens, sed potius patris et amici, ut omnes, tum præceptorem, tum alumnos, Christo lucrifaciat.

26. Caveat ne mere curiosa, vel supra captum posita, vel quæ in vitæ decursu, levis tantum, aut nullius essent utilitatis, pueri edoceantur, cum temporis jactura, et periculo, ne supra humile ac simplex vivendi genus assurgere ambiant, sicque inutiles ac vere miserabiles evadant.

27. Omnium, quibus pueri in scholis utuntur, librorum catalogum sibi exhiberi curet; perversos, quantum poterit, procul amandet, ac si quominus eliminentur per eum non [illegible] m ad Episcopum referat.

28. In immutandis usibus, vel tollendis abusibus, magnam adhibeat cautelam, nec quidquam alicujus momenti aggrediatur, nisi consulto Episcopo; meminerit horum sancti Augustini verborum, qui agens de auferendo usu quodam pernicioso, scripsit: *Non aspere, quantum existimo, non duriter, non modo imperioso, ista tollantur; magis docendo quam jubendo, magis monendo quam minando; sic enim agendum est cum multitudine, severitas autem exercenda est in peccata paucorum, et si quid minamur, cum dolore fiat, de scripturis commonendo vindictam futurorum, ne nos ipsi in nostra potestate, sed Deus in nostro sermone timeatur* (Epist. XXII).

29. Cum parochus pro Christo legatione fungatur in terra, Christum induere nitatur, ita ut sese totum devoveat religionis augmento, animarumque saluti. Caveat igitur ne quid detrimenti afferat rebus tanti momenti, vel levitate, aut petulantia, vel inanis gloriæ amore, vel rerum terrenarum cupiditate. Dicta sua ponderet,

scripta discutiat, actus suos ita componat, ut non vituperetur ministerium nostrum ; perfectus appareat homo Dei ad omne opus bonum instructus.

30. Quia, ut ipse ait Christus, *Bonus Pastor cognoscit oves suas et vocat eas nominatim*, ideo parochus cognoscere debet fideles sibi commissos. Non ergo negligat morem hunc tam salutarem, singulas parœciæ suæ familias, si fieri potest, certis temporibus, visitandi, hocque munus adimpleat cum gravitate simul et modestia, necnon et singulari charitate. Quamvis enim a quolibet inutili, per parœciam, discursu abstinere debeat, non tamen officio suo satisfecisse arbitretur, si domi inclusus, exspectet ut ad ipsum veniant parochiani. Semper equidem valuit, sed hisce præsertim temporibus valet, hoc præceptum Domini : *Ite ad oves quæ perierunt domus Israel.*

31. Obediant parochi præpositis suis et subjaceant eis ; ipsi enim pervigilent, quasi rationem reddituri pro eis. Inter se autem sint unanimes, idipsum sentientes, fraternitatis amatores, honore invicem prævenientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes, non quæ sua sunt singuli considerantes, sed quæ aliorum.

32. Denique se patrem esse magis quam Dominum memor parochus quisque, parochianos suos sincera charitate amplectatur et diligat ; illos, ut filios carissimos, moneat ; infirmos in fide benigne suscipiat, nemini det ullam offensionem, omnibus exemplo præluceat, fiatque tanquam si nutrix foveat filios suos. Insuper inquirat studiose de pauperibus, præsertim de orphanis, pupillis, ægrotis senioque confectis, aliisque personis, temporali vel spirituali misericordia indigentibus, quibus et ipse, pro viribus, opitulari, et alios suo exemplo et hortatu ad id officium incitare studeat (Conc. Mediol. 1).

§ 1. *De Vicariis.*

1. Vicarii in adjutorium ministerii parochialis instituti sunt, et ab Episcopis deputantur, parte fructuum iisdem pro sufficienti victu assignata.

2. Quamobrem, non proprio nomine curam habent animarum, sed tanquam parochum adjuvantes, vel repræsentantes.

3. Debent igitur cum reverentia et subjectione erga eum sese habere; nihil, ipso invito, muneris obire, nisi, ob graves causas, aliter ab Episcopo statutum fuerit.

4. Curent, quantum fieri potest, ut uniformem cum Parocho, agendi rationem teneant; nimia enim inter utrumque, quoad sacri ministerii praxim, discrepantia in destructionem potius vergeret, quam in ædificationem.

5. Summopere etiam caveant ne verbis aut factis parochum in mente fidelium imminuant, sed in omnibus modeste, sicut decet, sese gerentes, cum diligenti cura, fideli populo salutis adjumenta præbeant.

§ 2. *De administratione Bonorum Ecclesiarum.*

1. Res Ecclesiæ, utpote propter cultum divinum Ecclesiæ donatas, esse Dei, proindeque sub potestate et jurisdictione Ecclesiæ omnino constitutas, declarant plurimæ Summorum Pontificum Constitutiones, et innumera Concilia.

2. Curent ergo sedulo parochi, aliique quibus competit sacerdotes, ut bona temporalia Ecclesiarum suarum recte administrentur.

3. Provideant, pro viribus, ut fabricarum suarum regimini non præponantur, nisi viri selecti, probatæ religionis, et huic officio idonei.

4. Intelligant isti administratores se tanquam procuratores Ecclesiæ constitutos esse, seque ab eadem tenere jus administrandi bona dictarum fabricarum. Sedulam dent operam ut, juxta injunctum sibi ab Ecclesia munus, ea bona fideliter servent, ac ne quid de ipsis distrahatur vel depereat. Meminerint sibi non licere dicta bona, tam mobilia quam immobilia, donare, vendere, permutare, vel alio quocumque modo alienare, aut in mutuum dare, vel in emphyteusim tradere, vel sub hypotheca obligare, nisi in casibus a jure permissis, inconsulto Episcopo et sine expressa ejusdem licentia. Caveant etiam ne, absque eadem licentia, pecunias numeratas aliave fabricarum bona in alios usus impendant, quam ad quos, jure aut consuetudine, destinantur.

5. Rationum et deliberationum libri sint adamussim exarati et legitimis muniti chirographis. Redditus accurate percipiantur. Accepti et expensi ratio (*Comptes*) quotannis accurate exhibeatur.

6. Invigilent continuo ecclesiarum rectores ne instrumenta, quæ spectant ab bona sive mobilia, sive immobilia, perimantur aut pereant, sed ut sarta tecta serventur.

7. Thesaurarii officio non fungatur parochus, ne sacri ministerii honor et independentia lædantur.

8. Ne parochi et ecclesiarum rectores apud fideles sibi commissos aut in suspicionem veniant, aut male audiant, jura sua ab ecclesiarum suarum juribus apprime distinguant, nec taxam (*tarif*) pro functionibus ecclesiasticis immutent, nisi approbante Episcopo, neque alia sibi attribuant, quam quæ ipsis vel lege diœcesana, vel probata consuetudine, competunt.

9. Nulla ædificetur ecclesia, nisi situs, schema, ornamentaque fuerint ab Episcopo probata.

10. Nulla in ædibus sacris fiat alicujus momenti refectio, nulla mutatio formæ, cujus opportunitas non fuerit episcopali auctoritate sancita.

DECRETUM XVI.

De Juramento.

Sanctum et terribile nomen Domini, summa igitur reverentia, summoque timore et tremore proferendum, invocandum et benedicendum. Quam vero horrendum sit scelus, illud profanare, tum Scriptura sacra, tum ipsa ratio docent.

Hujus sane veritatis sunt prorsus immemores ii omnes qui eo impietatis devenerunt, ut quasi majestatem Omnipotentis spernerent, jam nomen sanctum ejus in vanum assumere, atque nomen Dei sui polluere non reformidant.

Isti namque superbia, ambitione, aliisque malis cordis sui cupiditatibus exagitati et obcæcati, erroneam falsamque sibi effingentes conscientiam, quasi omnia sibi permissa forent, cum vel de rebus suis in judicio contendunt, vel maxime cum, illis effrenatæ licentiæ diebus, quibus populares aguntur electiones, de candidato pugnant, sæpe jurare non dubitant *temere* et *falso* et *injuste*. Tunc enim sæpe jurant, vel se habere quod non habent, vel se revera possidere quod nonnisi ficte possident, vel bona fide tenere quod nonnisi fraudulenter tenent, vel se esse quod non sunt.

Tantam ergo impietatem, tamque damnabile scelus toto animo exsecrantes, atque totis viribus abolere cupientes, omnes parochos, aliosque sacerdotes in sancto ministerio laborantes obsecramus, atque obtestamur in Domino, ut fideles sibi commissos sanctitatem juramenti

diligenter frequenterque doceant, maxime vero instante illarum electionum tempore; quo tandem isti discant quanta religione, in *veritate*, in *judicio* et in *justitia* jurare debeant, et quantam injuriam divinæ majestati inferant, quantoque scelere conscientiam suam onerent qui *falso*, *temere*, aut *injuste* jurant; quacumque de causa, quocumque tempore et quocumque loco ita male jurant.

DECRETUM XVII.

De publicatione decretorum hujus Concilii Provincialis.

Decreta hujus Synodi Provincialis nemo prelo subjiciat aut promulget, antequam a Sancta Sede Apostolica, juxta Constitutionem Sixti V. quæ incipit *Immensa*, revisa et recognita fuerint. Litteris autem quibus illa confirmentur a Sanctitate Sua obtentis, ea statim imprimantur, impressaque, a singulis Episcopis, vel in Synodo Diœcesana, vel, si celebrari nequeat, extra Synodum, quamprimum promulgentur.

DECRETUM XVIII.

De promulgatione testium Synodalium.

Nos, Petrus-Flavianus Turgeon, Archiepiscopus Quebecensis, antiquum atque probatum de testibus synodalibus institutum secuti, ad hoc officium, de consilio et consensu Reverendissimorum Coepiscoporum nostrorum, deligimus, instituimus atque pronuntiamus eos, quorum nomina sequuntur:—

Pro Archidiœcesi Quebecensi, D. D. Ludovicum-Jacobum Casault, Vicarium Generalem et Superiorem

Seminarii dictæ Archidiœcesis, et Franciscum-Xaverium Delâge, parochum a Beata-Maria-Auxiliatrici vulgo l'*Islet* ;

Pro Diœcesi Marianopolitanensi, D. D. Jacobum-Philippum Santoni, Oblatorum Mariæ Immaculatæ Provincialem, et Joannem-Baptistam Labelle, parochum a S. Rocho vulgo *de l'Achigan* ;

Pro Diœcesi Kingstoniensi, D. D. Æneam McDonnell, Vicarium Generalem dictæ Diœcesis, et Olivarium Kelly, loci vulgo dicti *Brockville* pastorem ;

Pro Diœcesi S. Hyacinthi, D. D. Franciscum-Xaverium Demers, Vicarium Generalem dictæ Diœcesis et parochum a S. Dionysio, et Eduardum Crevier, etiam Vicarium Generalem dictæ Diœcesis et parochum a S. Maria vulgo *de Monnoir* ;

Pro Diœcesi Bypolitana, D. D. Petrum Aubert, Vicarium Generalem dictæ Diœcesis et Superiorem Oblatorum Mariæ Immaculatæ, et Michaelem Byrne, loci vulgo dicti *Renfrew* pastorem ;

Pro Diœcesi Torontina, D. D. Eduardum Gordon, Vicarium Generalem dictæ Diœcesis, et loci vulgo dicti *Hamilton* pastorem, et Claudium Ternet, loci vulgo dicti *Penitanguishine* pastorem ;

Pro Diœcesi Trifluviana, D. D. Franciscum-Germanum Loranger, Vicarium Generalem dictæ Diœcesis et monialium S. Ursulæ in urbe Trifluviana capellanum, et Michaelem Carrier, parochiæ a S. Antonio vulgo *la Baie du Febvre* pastorem.

DECRETUM XIX.

De invocatione et veneratione Beatissimæ Mariæ Virginis.

Cum Deus nos totum habere voluerit per Mariam ut christiani pro Matre sua venerarentur quæ genuit Jesum Christum Salvatorem nostrum ; ideo hujus Concilii Patres, in hac ecclesia sub titulo Immaculatæ Conceptionis, ducentis abhinc annis jamdudum dicata, hortantur et obsecrant sacerdotes saluti animarum incumbentes ut, pro viribus suis, cultum Beatissimæ Virginis magis ac magis propagare studeant, provolutique ad pedes ejusdem Dei Genitricis, illi se suasque oves offerunt ac devovent, eamque ponunt gregis custodem.

O Domina nostra, Sancta Maria, Ecclesiæ Dei decus et firmissimum præsidium, Apostolorum regina et mater, per Te et quasi de Tua plenitudine in hac ipsa die Pentecostes, Spiritus Sancti donis repleti sunt Apostoli ; per Te solam nos quoque hic in Concilio congregati, provinciæ Quebecensis Episcopi, et Apostolorum successores, ejusdem Spiritus Sancti dona et ardenter exposcimus et confidenter exspectamus. Tibi nosmetipsos et omnia nostra plenissime dicamus et consecramus : Tibi carissimas oves nostras omnes ex intimo cordis affectu commendamus ; nullam earum perire sinas, o Mater piissima, quas nobis divinus ille pastor Filius tuus Jesus dedit pascendas. Nos cultum Tuum et Tui amorem, pro viribus dilataturos, et in omnium cordibus promoturos spondemus. Et quoniam affectuosissima pietate tenemus Te semper ab omni labe immunem et in ipsa Conceptione omnimode immaculatam fuisse, hanc Tuam ineffabilem prærogativam, hoc Tuum Tibi soli proprium privilegium omni zelo tueri et extollere conabimur. Tu

vero, o Mater sanctissima et piissima, ora pro populo nostro, interveni pro clero; nos omnes Tibi commissos, pietate superna, hodie et per totam vitam illumina, custodi, rege, et guberna. Amen.

DECRETUM XX.

De indictione futuri Concilii Provincialis.

Cum sacrosanctæ Synodi Tridentinæ decretis statutum sit, ut quolibet saltem triennio celebrentur concilia provincialia, ut Ecclesiæ menti obsequamur, Nos, Petrus-Flavianus Turgeon, Archiepiscopus Quebecensis, de consilio et consensu Reverendissimorum Episcoporum Comprovincialium, proximum Concilium hujus provinciæ, in ipsa nostra Ecclesia metropolitana, mense Maio, anno millesimo octingentesimo quinquagesimo septimo, celebrandum jam denuntiamus et indicimus omnibus qui præsentes adesse debent.

DECRETUM XXI.

De fine Concilii.

Cum placuerit omnibus Patribus hujus Concilii finem fieri, Nos, Petrus-Flavianus Turgeon, Archiepiscopus Quebecensis, Provinciali Concilio finem facimus et jam nunc factum esse decernimus.

DECRETUM XXII.

De Subscriptione.

Nos, Petrus-Flavianus Turgeon, Archiepiscopus Quebecensis, admonemus Reverendissimos Patres omnes qui huic Synodo jure intersunt et interfuerunt, ut post

nos, singuli, loco et ordine suo, ad altare accedant, et iis quæ in hac Synodo decreta sunt, subscribant.

Nos, Petrus-Flavianus Turgeon, Archiepiscopus Quebecensis, hæc decreta a Nobis definita subscripsimus.

✠ P.-F., Archiep. Quebecensis.

✠ Ego Ignatius, Ep. Marianop., ut definiens subscripsi.

✠ Ego Patritius, Ep. Carrhensis, Kingstoniensis Administ. Ap., ut definiens subscripsi.

✠ Ego Joannes-Carolus, Ep. S. Hyacinthi, ut definiens subscripsi.

✠ Ego Joseph-Eugenius, Ep. Bypolitan., ut definiens subscripsi.

✠ Ego Armandus-F.-M., Ep. Toront., ut definiens subscripsi.

✠ Ego Thomas, Ep. Trifluvian., ut definiens subscripsi.

✠ C.-F., Ep. Tloan.

✠ Ego Josephus LaRocque, Ep. Cydoniensis subscripsi.

DECRETUM

S. CONGNIS DE PROPAGANDA FIDE

Pro Decretorum approbatione.

In generalibus S. C. de Pnda Fide conventibus habitis diebus trigesima aprilis et septima maii anni 1855, per Emum ac Remum D. Ludovicum Altierium proposita sunt Acta et Decreta secundi Concilii Provincialis Quebecensis habiti sub præsidentia R. P. D. Petri-Flaviani Turgeon, Archiepiscopi Quebecensis, a die 28 maii ad quartam junii superioris anni 1854. Omnibus vero mature perpensis, Emi et Rmi Patres decreverunt Instructionem eidem R. P. D. Archiepiscopo Quebecensi esse tradendam circa memorata Acta et Decreta, eademque ad Instructionis hujus formam compositas probanda esse atque edenda censuerunt.

Sententiam Emorum Patrum per infrum S. C. de Pnda Fide Secrium Smo Dno Nro Pio Div. Provid. P. P. IX, relatam in audientia die 13 maii 1855, Sanctitas Sua benigne in omnibus probavit, ac Decretum vulgari permisit.

Dat. Romæ ex æd. S. C. de Pnda Fide die 7 julii 1855.

J. Ph. Card. Franzoni Præfs.

L. S. Al. Barnabo a Secretis.

PROVINCIÆ QUEBECENSIS

IN

CIVITATE QUEBECENSI

CELEBRATI

A SANCTA SEDE REVISA ET RECOGNITA ANNO
PONTIFICATUS PII PAPÆ NONI XVIII
DOMINI MDCCCLXV

QUEBECI
1865

DECRETA

TERTII CONCILII

PROVINCIÆ QUEBECENSIS

ANNO MDCCCLXIII

CELEBRATI

PRÆSIDE ILLUSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO

EPISCOPO TLOANENSI

ARCHIDIŒCESIS QUEBECENSIS ADMINISTRATORE

EDICTUM

CONVOCATIONIS CONCILII PROVINCIALIS III QUEBECENSIS

CAROLUS-FRANCISCUS BAILLARGEON,

MISERATIONE DIVINA ET SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ GRATIA, EPISCOPUS TLOANENSIS, ADMINISTRATOR ARCHIDIŒCESIS QUEBECENSIS, &c., &c.

Reverendissimis Fratribus Episcopis, nec non venerabilibus Abbatibus, Capitulis, aliisque Provinciæ Quebecensis Ecclesiasticis, qui, de jure, vel consuetudine, Concilio Provinciali interesse debent, Salutem in Domino.

Cum sacrosanctæ et œcumenicæ Synodi Tridentinæ decreto sancitum sit, ut provincialia concilia, sicubi omissa sunt, pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, aliisque ex sacris canonibus permissis, renoventur; atque propterea, Metropolitani, quolibet saltem triennio, post Octavam

Paschæ Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi, seu alio commodiori tempore, pro more provinciæ, non prætermittant synodum in sua quisque provincia cogere, quo Episcopi omnes, et alii, qui, de jure, vel consuetudine, interesse debent, convenire omnino teneantur (Sess. XXIV); cumque Sanctissimus Dominus Noster Pius, Papa IX, opportunum judicaverit nobis concedere, per Rescriptum die 15 junii 1862 datum, facultatem Concilium Provinciale statutis a jure temporibus indicendi, eidemque præsidendi, eo fine ut, in hac parte, sicut et in cæteris omnibus, Reverendissimi Archiepiscopi ægritudine perdurante, vices ejus implere possemus;

Nos, quantum in nobis est, officio nostro satisfacere volentes, juxta mentem ejusdem Sanctissimi Patris Nostri Papæ, expetita prius Reverendissimorum Fratrum Nostrorum Episcoporum sententia, re mature perpensa, atque sacro Dei nomine invocato, ad majorem Dei gloriam, et utilitatem Ecclesiarum totius Provinciæ Quebecensis, Provincialem Synodum in Ecclesia Metropolitana Quebecensi celebrandam indicere et convocare decrevimus, illamque in dicta Ecclesia, ad diem decimam quartam mensis maii præsentis anni, in festo Ascensionis Domini incipiendam, ac postea usque ad finem prosequendam, per præsentes indicimus atque convocamus.

Quamobrem Reverendissimos in Christo ac Venerabiles Fratres Marianopolitanum, Ottawiensem, S. Bonifacii (districtus Nord-Ouest), Trifluvianensem, S. Hyacinthi, Hamiltonensem, Sandovicensem, Regiopolitanum, Torontinum, dictæ Provinciæ Quebecensis Episcopos, eorumdemque Coadjutores *cum futura successione*, Capitula et alios quoscumque, qui, de jure, vel consuetu-

dine, Concilio Provinciali interesse debent, hortamur, ac, in quantum opus est, mandamus atque præcipimus, ut ad prædictam Synodum, et assignata die, conveniant et personaliter compareant, nisi forte justo detenti fuerint impedimento ; quod probare tenerentur per procuratores ab ipsis legitime electos, a quibus in Synodo vices eorum repræsentarentur.

De hac convocatione Synodi Provincialis in Ecclesia Metropolitana Quebecensi celebrandæ Reverendissimi Episcopi Provinciæ monebunt suarum respective ecclesiarum cathedralium Capitula, aliosque, qui huic Synodo interesse tenentur.

Datum Quebeci, ex ædibus archiepiscopalibus, sub signo sigilloque nostris ac Secretarii nostri chirographo, die decima octava januarii, Dominica secunda post Epiphaniam, in festo SS. Nominis Jesu, anno Domini millesimo octingentesimo sexagesimo tertio.

✠ C.-F., EPUS TLOAN.

Administrator Archid. Queb.

L. ✠ S. *De Mandato Illustrissimi ac Reverendissimi DD. Tloanensis Episcopi.*

EDMUNDUS LANGEVIN, Pter. Secrius.

DECRETA

TERTII CONCILII PROVINCIALIS QUEBECENSIS.

DECRETUM I.

De aperienda Synodo.

In nomine Sanctissimæ et Individuæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Nos, Carolus-Franciscus Baillargeon, Episcopus Tloanensis, Ecclesiæ Metropolitanæ Quebecensis Administrator, ad laudem et gloriam Dei et Salvatoris Nostri Jesu Christi unigeniti Filii Dei, Patri consubstantialis, qui, pro nobis caro factus, unus est Dei et hominum mediator, et auctor salutis nostræ ; sub tutela et præsidio Matris ejus Beatissimæ, Immaculatæ, ac semper Virginis Mariæ, Sanctorum Angelorum, nec non Sancti Joseph, Beatissimæ Virginis Dei Genitricis Mariæ Sponsi, totius hujus Regionis Canadensis Patroni, Sancti Petri Apostolorum Principis, Sanctorum quorum patrocinio Ecclesiasticæ istius Provinciæ Quebecensis Cathedrales et Diœceses muniuntur, atque omnium Sanctorum, statuimus ac decernimus, de consilio ac consensu Rmorum Episcoporum nostrorum comprovincialum, hac ipsa die decima quarta maii, festo Ascensionis Domini, inchoari atque adeo inchoatum esse Concilium Provinciale, quod ex facultate, per Rescriptum Sanctissimi Domini Nostri Pii Papæ IX, die 15 julii 1862, nobis concessa, indiximus et convocavimus ; Jesum Christum Dominum et Salvatorem nostrum humiliter

deprecantes ut quod cœpit ipse perficiat, ac quæcumque ad nostram clerique et populi ædificationem stabilienda recognovimus, ab omnibus et singulis, Deo adjuvante, observentur.

DECRETUM II.

De modo vivendi in Concilio.

Ut in primo Concilio, p. 14.

DECRETUM III.

De professione fidei.

Cum, juxta Tridentinum Concilium, fides initium sit et fundamentum salutis, atque inter omnes pastoralis officii sollicitudines, illa potissimum prima esse debeat, ut fides catholica, quam Sancta Romana Ecclesia tenet et colit, incorrupta in hac Provincia integraque permaneat, et omnes illam puram illibatamque custodiant ; Nos, in hac Synodo Provinciali, hinc præcipue exordiendum duximus, ut eamdem sanctam et catholicam fidem quam corde credimus una oris confessione profiteamur. Quocirca ejusdem sacrosancti œcumenici Concilii Tridentini decretis insistentes, professionem fidei, a Pio IV Pontifice Maximo præscriptam, ab omnibus et singulis Reverendissimis Episcopis, in hac Synodo insidentibus, quibus eadem est prima in qua ipsi interfuerunt, palam ac publice emittendam decernimus atque mandamus.

Forma juramenti.

Ego N. firma fide credo, et profiteor omnia et singula quæ continentur in Symbolo Fidei, quo sancta Romana

Ecclesia utitur; videlicet, Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli et terræ, visibilium omnium, et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum, ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine: et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum Scripturas. Et ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos; cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum, et vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur, et conglorificatur: qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi. Amen. Apostolicas et ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes, et constitutiones firmissime admitto et amplector.

Item Sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto: nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor.

Profiteor quoque septem esse vere et proprie Sacramenta novæ legis, a Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria, scilicet: Baptismum, Confirmatio-

nem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium; illaque gratiam conferre; et ex his Baptismum, Confirmationem, et Ordinem, sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in supradictorum solemni administratione recipio et admitto: omnia et singula quæ de peccato originali et de justificatione, in sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio.

Profiteor pariter, in Missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium sacrificium, pro vivis et defunctis; atque in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse vere, realiter, et substantialiter Corpus et Sanguinem, una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiæ panis in Corpus, et totius substantiæ vini in Sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia Transubstantiationem appellat.

Fateor etiam, sub altera tantum specie, totum atque integrum Christum, verumque sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas Fidelium suffragiis juvari. Similiter et Sanctos una cum Christo regnantes venerandos, atque invocandos esse; eosque orationes Deo pro nobis offerre; atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissime assero, imagines Christi, ac Deiparæ semper virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse; illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam, Catholicam, et Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem et magistram agnosco; Romanoque Ponti-

fici, beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo ac juro. Cætera item omnia a sacris Canonibus et Œcumenicis Conciliis, ac præcipue a sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, et declarata, indubitanter recipio atque profiteor ; simulque contraria omnia, atque hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas, et rejectas, et anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, et anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, et veraciter teneo, eamdem integram et inviolatam, usque ad extremum vitæ spiritum, constantissime (Deo adjuvante) retinere et confiteri, atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, et prædicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. spondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.

DECRETUM IV.

Renovans et confirmans Decreta duorum priorum Conciliorum Provinciæ Quebecensis.

Hæc Synodus, omnia et singula duorum priorum hujus Provinciæ Conciliorum Decreta, a Sancta Sede revisa et recognita, ac in omnibus Diœcesibus jam promulgata, renovans atque confirmans, admonet et obtestatur in Domino omnes Episcopos hujus Provinciæ, ut sedulo invigilent, quatenus ab omnibus sibi subditis, in quantum fieri potest, fideliter observentur; quod ut certius faciliusque obtineant, curent ut omnes in sacris ordinibus constituti exemplarium supradictorum Decretorum apud se habeant, et saltem semel in anno perlegant ; curentque theologiæ professores ut in iisdem instituantur eorum alumni.

DECRETUM V.

De postulatione a Sancta Sede certæ methodi servandæ in commendandis sacerdotibus pro Episcopali dignitate.

Hujus Synodi Patres magnopere desiderantes ut istius Provinciæ Ecclesiis Antistites jugiter præficiantur qui, vitæ probitate, doctrina, zelo ac prudentia spectatissimi existant, censuerunt atque decreverunt supplicandum Sanctitati Suæ pro concessione certæ methodi in posterum servandæ in electione Episcoporum Diœcesium Provinciæ Quebecensis.

DECRETUM VI.

DE EPISCOPIS

CAPUT PRIMUM

De dignitate et auctoritate Episcoporum.

Magna certe sublimisque Episcoporum dignitas! Hanc Sancti Patres, Doctoresque miris encomiis extulerunt, non equidem alicujus adulationis causa, sed ipsius Religionis intuitu, quam Episcopis, veluti quodam fundamento, divina dispositione inniti cernebant. Episcopos enim esse Principes Ecclesiæ, Apostolorum successores, ipsiusmet Christi legatos, passim et aperte docent.

Sed cum hisce luctuosis temporibus, non tantum dignitatem Episcoporum, sed et potestatem quæ fluit ex plenitudine sacerdotii in eis residente, quidam hostes Ecclesiæ, temerario ausu aggressi fuerint, hæc Synodus

censet præclara ea de re sacrosancti Concilii Tridentini verba in memoriam esse revocanda: "Si quis omnes Christianos promiscue Novi Testamenti sacerdotes esse, aut omnes pari inter se potestate spirituali præditos affirmet, nihil aliud facere videtur quam ecclesiasticam hierarchiam, quæ est ut castrorum acies ordinata, confundere; perinde ac si, contra beati Pauli doctrinam, omnes Apostoli, omnes Prophetæ, omnes Evangelistæ, omnes Pastores, omnes sint Doctores. Proinde, sancta Synodus declarat, præter cæteros ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in locum Apostolorum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem præcipue pertinere; et positos, sicut idem Apostolus ait, regere Ecclesiam Dei; eosque presbyteris superiores esse; ac sacramentum Confirmationis conferre; ministros Ecclesiæ ordinare; atque alia pleraque peragere ipsos posse, quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent." (*Conc. Trid. Sess. XXIII. cap.* 4).

Itaque Ecclesiæ catholicæ firmissimum dogma est, Episcopos presbyteris superiores esse non solum potestate ordinis, sed etiam jurisdictionis: nec eis ullo modo denegari potest Ecclesiam suam regendi potestas, aut leges et statuta condendi, in iis quæ juri communi non adversantur.

CAPUT SECUNDUM

De Episcoporum officiis.

Verum si magna sublimisque Episcoporum dignitas, magna quoque et gravia sunt ipsorum officia. Audiant igitur hæc ad ipsos Concilii Tridentini monita: "Optandum est ut ii qui episcopale ministerium suscipiunt, quæ suæ sint partes agnoscant, ac se non ad propria

commoda, non ad divitias aut luxum, sed ad labores et sollicitudines pro Dei gloria vocatos esse intelligant. Nec enim dubitandum est, et fideles reliquos ad religionem innocentiamque facilius inflammandos, si præpositos suos viderent non ea quæ mundi sunt, sed animarum salutem, ac cœlestem patriam cogitantes." (*Conc. Trid. Sess. XXV. De Reform. cap.* 1).

Episcopis autem multum equidem est attendere sibi, juxta beati Pauli ad Timotheum monitionem, eaque omnia a se removere, unde tam augustum eorum ministerium vituperari posset. Attamen ipsis, utpote speculatoribus, minime sufficeret se, moresque suos, ac totam domum ita composuisse, ut inde omnibus venerationis et ædificationis causa oriretur. Sciant igitur se in excelso positos, ut vigilantiæ munus quod ipsis proprium est, et Ecclesiæ Dei tam necessarium, facilius adimplere valeant. Ante omnia, cum fides, ut ait Concilium Tridentinum, sit humanæ salutis initium fundamentumque, in illa orthodoxa fide, quam Sancta Ecclesia Romana colit et docet, tuenda stabiliendaque, constanti studio invigilent. Et quia non minus in fidei ruinam vergit crassa illa culpabilisque catholicarum veritatum ignorantia, quam earum per errores et hæreses depravatio, pari cura huic operi incumbant, ut et errores confutentur, et ignorantiæ vitium, quantum fieri poterit, exstinguatur.

Invigilent nihilominus Episcopi, ne in proprias diœceses abusus irrepant. Quocirca eos enixe hortatur eadem sacrosancta Tridentina Synodus, "ut illi in commissis sibi ecclesiis eo libentius resideant, quo facilius et commodius sibi subjectos regere et in vitæ ac morum honestate continere possint; atque illud primum eos admonendos censet, ut se pastores, non percussores esse

meminerint; et ita præesse subditis oportere, ut non in eis dominentur, sed illos tanquam filios et fratres diligant; elaborentque ut, hortando et monendo, ab illicitis deterreant, ne, ubi deliquerint, debitis eos pœnis coercere cogantur. Quos tamen, si quid, per humanam fragilitatem, peccare contigerit, illa Apostoli est ab eis servanda præceptio, ut illos arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate et patientia, cum sæpe plus erga corrigendos agat benevolentia quam austeritas, plus exhortatio quam comminatio, plus caritas quam potestas. Sin autem, ob delicti gravitatem, virga opus fuerit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia judicium, cum lenitate severitas adhibenda est, ut sine asperitate disciplina populis salutaris ac necessaria conservetur, et qui correcti fuerint emendentur; aut, si resipiscere noluerint, cæteri, salubri in eos animadversionis exemplo, a vitiis deterreantur." (*Conc. Trid. Sess. XIII. De Reform. cap.* 1).

Haud secus ac vigilandi, Episcopis etiam incumbit et prædicandi munus. Nec enim dubium est unicuique ipsorum, sicut et Timotheo, ab Apostolo dici: "Opus fac evangelistæ, ministerium tuum imple." "Quia vero," inquiunt Patres Tridentini, christianæ reipublicæ non minus necessaria est prædicatio evangelii quam lectio; et hoc est præcipuum Episcoporum munus; statuit et decrevit eadem sancta Synodus, Episcopos, Archiepiscopos, et omnes alios ecclesiarum Prælatos teneri per seipsos ad prædicandum sanctum Jesu Christi evangelium. Si vero contigerit eos legitimo detineri impedimento, viros idoneos assumere teneantur ad hujusmodi prædicationis officium salubriter exsequendum." (*Sess. V. De Reform. cap.* 2). Quinimo, cupiens eadem sancta Synodus illud ministerium, quo frequentius possit, ad fidelium salutem exerceri,

mandat ut Episcopi in aliis ecclesiis per parochos, sive, iis impeditis, per alios ab Episcopo deputandos, sacras Scripturas divinamque Legem annuntient. (*Sess. XXIV. De Reform. cap.* 4).

Ut autem illa Concilii Tridentini tam salutaris præscriptio efficacius observetur, Episcopos hortatur hæc Quebecensis Provinciæ Synodus, ut prædicationi verbi divini constanter invigilent, ipsamque ita peragi curent, ut Christus in cordibus efformetur.

Curent etiam Episcopi ut, quantum temporis aut locorum circumstantiæ ferent, fiant identidem in ruralibus ecclesiis, per aliquos diœcesis suæ aut etiam diœcesis alienæ presbyteros, pia exercitia, cum clara expositione, sive veritatum fidei, sive præceptorum Dei et Ecclesiæ, et vivida exhortatione, ut audientium corda quam primum ad Deum convertantur. In oppidis autem, eadem exercitia habeantur, sed cum luculentiore, si ita expedire videbitur, doctrinæ aut officiorum explanatione. Sciant etiam Episcopi se non inutili cura gravari, si in eligendis prædicatoribus pro hujusmodi exercitiis operam impendant; eosque moneant qualiter, pro temporum ac locorum exigentia, verbum divinum annuntiare conveniat. Quod si, in aliqua diœcesis parte, hi funestissimi errores, qui ad præsens inter populos diffunduntur, irrepere cœperint, eos confutari et præfocari, per evangelicæ veritatis prædicationem, Episcopos satagere necesse est. Meminerint tamen omnes ad hanc pugnam indiscriminatim non esse admittendos, ne forte errores debellati, sed non victi, per ipsam argumentorum debilitatem, firmius et tenacius animis audientium inhæreant: ideoque omnes parochos, aliosve, ad quos præsens admonitio spectare potest, hortamur in Domino quatenus huic errorum hodierni temporis confutationi,

seriam præparationem, et fervidam orationem semper præmittant.

Aliud etiam Episcopis gravissimum munus impositum, nempe populo christiano parochos præficere. Cum enim, ut ait Concilium Tridentinum, expediat maxime animarum saluti a dignis et idoneis parochis gubernari, ubi constiterit ecclesiam parochialem vacare, statim Episcopus, inter eos quos, re mature perpensa, dignos cognoverit, eum eligat quem ætate, moribus, doctrina, prudentiaque, et aliis rebus ad vacantem ecclesiam gubernandam opportunis, magis idoneum judicaverit. (*Sess. XXIV. De Reform. cap.* 18).

Similiter Episcopi propriam diœcesim per seipsos, aut, si legitime impediti fuerint, per suum Generalem Vicarium, aut per alios ad hoc officium deputandos, si quotannis totam, propter ejus latitudinem, visitare non poterint, saltem notabilem ejus partem visitare non prætermittant. Visitationum autem omnium istarum præcipuus sit scopus, præter sacramenti Confirmationis administrationem, sanam orthodoxamque doctrinam, expulsis hæresibus, inducere; bonos mores tueri, pravos corrigere; populum exhortationibus et admonitionibus ad religionem, pacem, innocentiamque accendere; cætera, prout locus, tempus et occasio feret, ex visitantium prudentia, ad fidelium fructum, constituere. Quæ ut facilius feliciusque faciant, monentur prædicti omnes et singuli ad quos visitatio spectat, ut paterna charitate christianoque zelo omnes amplectantur, ideoque studeant, quam celerrine, debita tamen cum diligentia, visitationem ipsam absolvere. (*Conc. Trid. Sess. XXIV. De Reform. cap.* 3).

Constanter etiam servent Episcopi salutarem illam consuetudinem convocandi, singulis annis, diœcesis suæ

presbyteros, ut in aliquo sacro secessu, per aliquot dies, piis exercitiis vacent, et annos æternos meditentur.

Verum, præter multiplices gravesque Episcoporum obligationes, quas hucusque retulimus, sunt etiam aliæ quæ ipsis maxime cordi esse debent : sed inter eas nulla, quæ majorum minorumque Seminariorum curæ anteponi debeat. Utraque enim Episcopi eo majori sollicitudine et affectu prosequi debent, quod in ipsis resideat, pro futuro, spes sacerdotii, divinique ministerii, id est, gloriæ Dei, animarumque salutis. Ipsis itaque tales Superiores magistrosque semper præficere curent, qui alumnos pietatem, innocentiamque vitæ, ac humanarum sacrarumque litterarum scientiam accurate edoceant.

Sed quoniam, ut studia proficiant in melius, et tandem floreant, nihil magis utile inveniri potest, quam ut recte prudenterque gerantur negotia temporalia Seminariorum, et per hanc laudabilem administrationem, omnis metus circa eorum existentiam aut prosperitatem, nec non circa Superiorum ac Magistrorum statum et conditionem, adimatur ; omnem curam impendent Episcopi in eligendis Œconomis idoneis qui, sub auctoritate Superiorum, indefessa diligentia, impensas dirigant et moderentur.

Præterea Episcopi, adjunctis sibi viris probatis, et hac in re experientia præditis, quotannis seriam redditnum ac impensarum rationem exigent. Statuent etiam quæ, in annum alterum, constructiones, reparationesque aut acquisitiones suscipi poterunt ; nec eis unquam consentient, quæ nimiam, id est, excedentem consuetas dictorum Seminariorum facultates, impensam exigerent.

Hinc, nullus Superior aut Œconomus arbitretur sese posse, ratione officii sui, in incerta negotia, aut non approbata immittere ; cum, in hac parte, nihil alicujus

momenti incipi debeat, absque expresso Episcopi consensu, cujus est, consultis eisdem viris probatis et peritis, quæ peragenda sint, statuere et determinare.

Præterea, cum nihil sit quod magis conferat ad conservandam, augendamque inter populos, vitæ christianæ rationem, quam pia puerorum educatio; nihilque e contra promptius et magis radicitus fidem destruat, mores corrumpat, sicque societatis et familiæ vincula disrumpat, quam eorumdem indisciplinata et irreligiosa institutio, Episcopi huic tam gravi pastoralis sollicitudinis officio constanter incumbere studeant. Quapropter, sedulo curabit unusquisque Episcopus, ut parentes admoneantur de obligatione quam eis imponunt, in hac parte, natura simul et religio; et si per se ipsos, huic officio educationis, ipsis divina dispositione imposito, satisfacere nequeunt, sciant saltem se, lege certissima, ad hoc adstringi ut pueros non nisi magistris probis, catholicis, religione sincera præditis, ac tam gravi munere dignis, committant; nec ullum temporale commodum condignum haberi posse, non dicimus modo æternæ puerorum saluti, verum etiam bonis quæ ex christiana educatione defluunt, cum ea sola vir probus et patriæ devotus præparetur.

Idcirco, ut in re tam gravis momenti, familiis, quantum fieri poterit, adjumento sint, Episcopi nihil omittent ut in suis diœcesibus instituantur aut multiplicentur scholæ omni parentum fiducia dignæ, videlicet, in quibus, cum litteris, scientiam amoremque Religionis juvenes edoceantur, et ipsius præceptorum adimpletioni accurate simul et leniter efformentur.

Tandem, si caritas, quæ est perfectio legis, omnium fidelium, et maxime sacerdotum mentes accendere debet, quanto magis Episcoporum, qui, cum erga omnes pater-

num affectum habeant, curas et dolores omnium longe vividius persentiunt. Continua igitur sollicitudine causam omnium miserabilium personarum Episcopus inquirat, quasi a Propheta ipsi dictum fuerit : " Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor. " Quod si, impar egenorum necessitatibus, sibi deesse sentiat has dotationes quibus, in præcedentibus sæculis, pietas fidelium ditaverat Ecclesiam, horum Tobiæ verborum recordetur : " Si multum tibi fuerit, abundanter tribue ; si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. " Præterea, utetur, si opus fuerit, ea libertate quæ ipsi libenter ab omnibus conceditur, divitum erogationes pro pauperibus implorandi ; nihilque Præsulibus carius sit aut potius quam nomen patroni aut advocati pauperum. Ipsis igitur succurrendis omnimodo et indesinenter invigilet, felicemque sese existimet quoties unum ex his operibus, quibus tot et tantæ miseriæ sublevantur, instituere potuerit.

DECRETUM VII.

De functionibus quas parochi unius diœcesis possunt exercere in proxima diœcesi.

Opportunum censuerunt Patres declarare antiquam regulam Archidiœcesis Quebecensis quoad loca ubi parochi invitari possunt, tum ad prædicandum, tum ad confessiones sive laicorum, sive clericorum audiendas, servari posse in tota Provincia Ecclesiastica, etiam nunc, divisione diœcesium facta, et in posterum, nisi placuerit Ordinariis locorum aliter decernere.

DECRETUM VIII.

De clericali habitu in Canada Superiori.

Quoniam in diœcesibus Canadæ Superioris vestis talaris usus, in Concilio Provinciali secundo, decretis Tridentini inhærente, præceptus, non nisi cum magno incommodo retineri potest, et jam obsolescere incœpit, hujusce regionis adjunctis, circumstantiisque perpensis, dictam vestem talarem deponi posse, aliudque vestimentum, vulgo dictum *soutanelle,* nigri coloris, et infra genua descendens, sufficere in præfatis diœcesibus declaramus ; volumus autem ut, in argumentum clericalis status, et gravitatis ecclesiasticæ incitamentum, non nisi hoc vestimento ac collare romano induti earumdem diœcesium sacerdotes e domo vel ecclesia exeuntes in publico incedant.

DECRETUM IX.

De modo providendi necessitatibus temporalibus ecclesiarum, sacerdotumque sustentationi in Canada Superiori.

Attentis difficultatibus quæ in diœcesibus Canadæ Superioris sæpe assurgunt, dum sacerdotum sustentationi, ecclesiis erigendis, aliisque piis operibus providendum est, nihil potius, ad talia obvenienda incommoda, nobis visum est, quam decernere ut fideles hujusmodi necessariis expensis præsto semper sint ; quod quo æquius obtineatur, et ut nemo suo muneri desit, pro norma sumatur elenchus ille municipalis, vulgo *assessment roll* dictus, qui in rebus civilibus, ista in regione, in usu est, ad statuendum quantum quisque pro rata sua parte, ad talia opera exsequenda, conferre teneatur.

DECRETUM X.

Contra errores hisce temporibus ubique serpentes.

Cum Summus Pontifex noster, Pius Papa IX, quem Deus in sua ineffabili Providentia posuit, ut, in hac tanta temporum asperitate, suam sanctam Ecclesiam tam sapienter regeret ac gubernaret, horrenda errorum monstra quæ, ex Apostolicæ Sedis altitudine, tanquam in arce religionis, per catholicum orbem hac difficillima ætate grassantia, intuetur, nobis, qui custodes gregis Domini in his regionibus præpositi sumus, et speculatores domus Israel, iterum atque iterum indicare, nosque instantissime adhortari, ut vires exerceamus nostras ad eadem forti animo debellanda, in sua vigilantissima Ecclesiæ universalis cura, judicaverit ; nihil opportunius ac magis necessarium nobis, in hac Synodo congregatis, visum fuit, quam ipsamet illius verba salutis plena, in Allocutionibus suis 9 decembris 1854 et 9 junii 1862 contenta, hujus Synodi Decretis adjicere, ut oves nostris curis commissæ, tam salutaria monita die ac nocte ob oculos habentes, ab omnibus erroris viis avertantur. Hac ratione nos, qui in sollicitudinis istius supremi Pastoris partem vocati sumus, strenue dimicare debemus pro domo Israel, ut summo ipsi solatio ac consolationi simus. " Non possumus enim non vehementer dolere et angi cum Patre nostro, cum videamus tristissima, et nunquam satis deploranda mala ac damna, quibus cum permagno animarum detrimento catholica nunc Ecclesia, et ipsa civilis societas miserandum in modum premitur ac devastatur. "

DECRETUM XI.

De devotione Patrum Concilii, Cleri secundi ordinis, Plebisque christianæ totius Ecclesiasticæ provinciæ Quebecensis, erga Sanctum Pontificem Pium IX.

Nos provinciæ Quebecensis Episcopi, in provinciale Concilium coadunati, una cum Clero nostro, fidelibusque populis hujus prædictæ provinciæ, Sanctitati Suæ Pio Papæ IX, pietatis nostræ filialis, et sinceræ atque ardentis devotionis erga Sacram ipsius Personam, et Sanctam Sedem Apostolicam, solemne testimonium offerimus.

Declaramus insuper quod, certantibus studiis cum Clero atque fidelibus populis præfatæ provinciæ, nostras facimus religione et pietate plenas protestationes in favorem Sanctæ Sedis, Episcoporum, Cleri secundi ordinis et Plebis christianæ, qui Romæ aderant, tempore canonisationis Sanctorum Japonensium, eisdemque mente, corde et ore adhæremus.

DECRETUM XII.

De Universitate Lavallensi.

Intelligentes nihil magis aptum esse quam Universitatem catholicam, ad servandos mores fidemque studiosæ juventutis, post peractum in Collegiis humaniorum litterarum et philosophiæ curriculum ; ad animorum unionem fovendam inter cives catholicos hujus provinciæ ; ad sanctæ religionis honorem promovendum, studiis juniorum catholicorum majorem impetum imprimendo, altioremque scopum proponendo, et tandem probos et doctos cives informando ; primi hujusce provinciæ Concilii Patres decretum tulerunt his verbis :

" Nihil vero nobis non emoliendum erit, ut Catholici, sua jura retinentes, scholis sibi propriis sicut et Collegiis, Universitatibusque, in tota nostra Provincia fruantur ". (*Decret. XV. I Conc. Queb.*).

Cum autem Seminarii Quebecensis moderatores, instantibus Archiepiscopo et Episcopis, favente Summo Pontifice, et obtentis amplissimis regiis litteris patentibus, hoc primi Concilii votum, summo zelo, magnis impensis, et, Deo optimo juvante, huc usque felici exitu, exsequi susceperint in Universitate Lavallensi, nos Deo gratias agendas duximus tanti beneficii auctori et preces fundendas ut supradicta Universitas *fiat sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus* (Gen. XXVII. 27.), *ut magis ac magis abundet in scientia et in omni sensu, et repleatur fructu justitiæ per Jesum Christum in gloriam et laudem Dei.* (Philip. I. 9. 11).

Insuper, inspectis variis hujusce Universitatis regulis ac statutis, sive quæ ad disciplinam, sive quæ ad docendi modum spectant, nihil invenisse a recta fide et sanis moribus alienum declaramus.

Omnes igitur hujusce provinciæ fideles, et præsertim parentes hortamur et obsecramus in Domino, ut, sui memores officii, filiorum suorum fidei moribusque conservandis invigilent et prospiciant, ac nonnisi in saluberrimo fonte doctrinæ aquas requirant.

DECRETUM XIII.

De publicatione Decretorum hujus Concilii Provincialis.

Decreta hujus Synodi provincialis nemo prelo subjiciat aut promulget, antequam a Sancta Sede Apostolica, juxta Constitutionem Sixti V quæ incipit *Immensa*, revisa et recognita fuerint. Litteris autem quibus illa

confirmentur a Sanctitate Sua obtentis, ea statim imprimantur, impressaque, a singulis Episcopis, vel in Synodo diœcesana, vel, si celebrari nequeat, extra Synodum, quam primum promulgentur.

DECRETUM XIV.

De promulgatione testium Synodalium.

Nos Carolus-Franciscus Baillargeon, Episcopus Tloanus, ex auctoritate Apostolica Administrator Archidiœcesis Quebecensis, antiquum atque probatum de testibus synodalibus institutum secuti, ad hoc officium, de consilio et consensu Reverendissimorum Coepiscoporum Nostrorum, deligimus, instituimus atque pronuntiamus eos quorum nomina sequuntur :

Pro Archidiœsi Quebecensi, admodum Reverendum Elzearum-Alexandrum Taschereau, Vicarium Nostrum Generalem, Lavallensis Universitatis Rectorem, Jurisque Canonici Doctorem, et Reverendum D. Ludovicum Proulx, archipresbyterum, parochum a Beata Maria, in comitatu vulgo dicto *La Beauce.*

Pro Diœcesi Marianopolitanensi, admodum Reverendum Dominicum Granet, Vicarium Generalem dictæ Diœcesis, ac Seminarii S. Sulpitii Superiorem, et Reverendum D. Norbertum Lavallée, parochum a S. Vincentio a Paulo in Insula Jesu.

Pro Diœcesi Ottawiensi, Reverendum P. Joseph-Adolphum Tortel, missionarium Oblatorum Mariæ Immaculatæ, professorem Seminarii ejusdem Diœcesis, et Reverendum D. Joseph Michel, parochum a S. Paulo vulgo *Aylmer.*

Pro Diœcesi Sti Bonifacii, admodum Reverendum Joannem-Baptistam Thibault, Vicarium Generalem, et

Reverendum P. J.-J.-M. L'Estanc, Oblatum Mariæ Immaculatæ, missionarios istius Diœcesis.

Pro Diœcesi Trifluviana, admodum Reverendos Thomam Caron, Superiorem Seminarii Diœcesani, et Carolum-Olivarium Caron, Ursulinarum monialium capellanum, utrumque dictæ Diœcesis Vicarium Generalem.

Pro Diœcesi S. Hyacinthi, admodum Reverendum Eduardum Crevier, dictæ Diœcesis Vicarium Generalem, parochumque a Beata Maria vulgo *de Monnoir* et Reverendum D. Hilarium Millier, parochum a S. Petro, vulgo *Sorel*.

Pro Diœcesi Sandovicensi, Reverendum D. Petrum Crinnon, missionis vulgo *Stratford* dictæ pastorem, et Reverendum D. Ludovicum Griffa, missionis vulgo dictæ *Ingersoll* pastorem.

Pro Diœcesi Hamiltonensi, admodum Reverendum Eduardum Gordon, dictæ Diœcesis Vicarium Generalem, et Reverendum D. Eduardum Heenan, Hamiltonensem presbyterum.

Pro Diœcesi Regiopolitanensi, admodum Reverendum Æneam McDonnell, dictæ Diœcesis Vicarium Generalem, et Reverendum D. Olivarium Kelly, parochum a Sto Petro vulgo *Peterborough*.

Pro Diœcesi Torontina, admodum Reverendum Joannem Walsh, dictæ Diœcesis Vicarium Generalem, et Reverendum D. Georgium Northgraves, Secretarium Reverendissimi Antistitis.

DECRETUM XV.

De invocatione et veneratione Beatissimæ Mariæ Virginis Immaculatæ.

Nos, Apostolorum docendi et pascendi gregem Dei muneris hæredes, qui, hisce diebus, ad illuminationem

Sancti Spiritus accipiendam coadunati, perseverantes fuimus in oratione cum Maria Matre Jesu, Ipsa intercedente pro nobis in cœlo, dum in terra supplicaremus, nunc ab invicem secessuri, huic Synodo haud finem imponemus quin reverentiæ et grati obsequium animi præstemus Matri Sapientiæ quæ habitat in consilio, et eruditis interest cogitationibus. Ad illius gloriam hoc offerimus Decretum, exinde sperantes a cœlo confirmationem, et aliarum sanctionum nostrarum felicem executionem. Confidenter deprecamur gloriosam Virginem, quæ cunctas hæreses sola interemit in universo mundo, ut hanc doctrinæ nostræ obtineat efficientiam, quæ ab omni errore immunes servet, quos in unitatem fidei et agnitionem Filii sui Deus voluit venire ; et Ipsa in qua est omnis gratia viæ et veritatis, et omnis spes vitæ et virtutis, fideles per Dei et Ecclesiæ leges instructos, super semitas justitiæ deducat.

Nos, quos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei quam acquisivit sanguine suo, SSmæ Matri Jesu personas nostras addicimus, et volumus Filios nostros carissimos, in ejusdem Sanguinis dispensatione nostros adjutores, se nobiscum toto corde et opere addicere devotissimo cultui Mariæ, quæ est fons purissimus istius saluberrimi fluvii pacis et vitæ, in quo lavantur peccata mundi, ut in nos effluat, super alios transfundendus, quasi in canales nitidissimos, a sancta origine haud nimis absimiles.

Allecti venustate Virginis Immaculatæ, quam Deus ipse vocat dilectam et formosam suam, sæpissime ejus sublimitatem, pulchritudinem et benevolentiam prædicabimus, hoc ipso amorem nostrum explentes, et aliorum mentes eadem erga Illam caritate accensuri.

Volumus omnes fideles in numerosissimis necessitati-

suis, semper recurrere ad potentissimam dilectionem Mariæ, quæ Mater hominum, omnia bona vult, et Mater Dei, potest ipsis impertiri. Ad Ipsam, a Deo Refugium peccatorum constitutam, hi quos iniquitatis jugum tenet, clament, firmissime sperantes se cito solvendos.

Nosmet hanc ineffabilem misericordiam, quam tam feliciter exhibet Beatissima Mater etiam desperatissimis, mirantes, et imitari cupientes, superimpendemur pro animabus quas æternæ perditioni proximas videbimus.

Sit Benedicta Virgo omnibus nobis, pastoribus et ovibus, dulcedo præsentis, et spes futuræ vitæ.

O Maria ! ad te supplicantia referemus verba Pontificis cordi tuo carissimi, cujus opere amplissima gloria effulsisti : " Adsis nobis, Virgo Sanctissima, ab origine Immaculata, sis Ipsa nobis in dubiis rebus consilium, in angustiis levamen, in adversis auxilium ! "

DECRETUM XVI.

De indictione futuri Concilii Provincialis.

Cum sacrosanctæ Synodi Tridentinæ decretis statutum sit, ut quolibet saltem triennio celebrentur concilia provincialia, ut Ecclesiæ menti obsequamur, Nos, Carolus-Franciscus Baillargeon, auctoritate Apostolica Archidiœcesis Quebecensis Administrator, de consilio et consensu Reverendissimorum Episcoporum Comprovincialium, proximum Concilium hujus Provinciæ, anno millesimo octingentesimo sexagesimo sexto, celebrandum jam denuntiamus et indicimus omnibus qui præsentes adesse debent.

DECRETUM XVII.

De fine Concilii.

Cum placuerit omnibus Patribus, hujus Concilii finem fieri, Nos, Carolus-Franciscus Baillargeon, Archidiœcesis Quebecensis Administrator, Provinciali Concilio finem facimus, et jam nunc factum esse decernimus.

DECRETUM XVIII.

De Subscriptione.

Nos, Carolus-Franciscus Baillargeon, hujusce Archidiœcesis Quebecensis Administrator, admonemus Reverendissimos Patres omnes, qui huic Synodo jure intersunt et interfuerunt, ut post nos singuli, loco et ordine suo, ad altare accedant, et iis quæ in hac Synodo decreta sunt subscribant.

Nos, Carolus - Franciscus Baillargeon, Episcopus Tloanensis, auctoritate Apostolica Administrator Archidiœcesis Quebecensis, hæc Decreta a Nobis definita subscripsimus.

✠ C.-F., Episcopus Tloanensis.

✠ Ego Ignatius, Epus Marianopolitanensis, definiens subscripsi.

✠ Ego Jos.-Eugenius, Epus Ottawiensis, definiens subscripsi.

✠ Ego Alexander, Epus Sti Bonifacii definiens subscripsi.

✠ Ego Thomas, Epus Trifluvianensis, definiens subscripsi.

✠ EGO JOS., Epus Sti Hyacinthi, definiens subscripsi.

✠ EGO JOANNES, Epus Hamiltonensis, definiens subscripsi.

✠ EGO PETRUS-ADOLPHUS, Epus Sandowicensis, definiens subscripsi.

✠ EGO EDUARDUS-JOANNES, Epus Kingstoniensis, definiens subscripsi.

✠ EGO JOANNES-JOSEPH, Epus Torontinus, definiens subscripsi.

EPISTOLA

PATRUM CONCILII ROMAM UNA CUM DECRETIS EJUSDEM CONCILII POST EJUS CELEBRATIONEM AD SUMMUM PONTIFICEM MISSA.

Sanctissime Pater,

Nos, Sanctitatis Vestræ filii addictissimi, Episcopi provinciæ Ecclesiasticæ Quebecensis, feliciter peracto nostro Concilio provinciali tertio, alacri animo festinamus ad Vestram Paternitatem mittere acta ejusdem Synodi, ut ea revidere et recognoscere jubeatis.

Hanc secundam opportunitatem accepimus, Sanctissime Pater, iterum Vobis patefaciendi quantum doleamus propter Vestras tribulationes multas et malas quas Vobis suscitant infensissimi hostes Dei et Ecclesiæ ; et ex alia parte quantum miremur et gaudeamus propter animi fortitudinem et patientiam, et mansuetudinem et invictam caritatem, aliaque Spiritus Sancti pretiosa charismata, quibus Vos ditavit Pater luminum a quo procedit omne donum perfectum.

Hæc munera divina, sine intermissione deprecamur Deum Omnipotentem, ut dignetur in Vestram Sanctitatem perpetuo atque magis ac magis effundere, ad gloriam summi Pastoris ejusque dilecti gregis salutem.

Rogamus insuper, toto corde nostro, Dominum cœli et terræ, ut si Ipsi placuerit, aliquando finem imponat horrendæ tempestati qua tamdiu exagitatur sancta Mater Ecclesia, restituatque Beatitudini Vestræ dona pacis et tranquillitatis magnæ.

Tandem utinam Deus optimus concedat Vobis, Sanctissime Pater, vivere diu satis ad videndum perfectum Ecclesiæ triumphum, integramque Stæ Sedi restitutionem totius Status Ecclesiastici.

Ad Sanctitatis Vestræ pedes humiliter provoluti, Apostolicam Benedictionem, nobis ovibusque nostris desiderantissime imploramus.

Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimi filii,

✠ C.-F., Epus Tloanensis.
✠ IG., Epus Marianopolitanensis.
✠ JOS.-EUGENIUS, Epus Ottawiensis.
✠ ALEX., Epus Sti Bonifacii.
✠ JOS., Epus Sti Hyacinthi.
✠ JOANNES, Epus Hamiltonensis.
✠ THOMAS, Epus Trifluvianensis.
✠ PETRUS-ADOLPHUS, Epus Sandovicensis.
✠ E.-J., Epus Kingstoniensis.
✠ JOANNES-JOSEPH, Epus Torontinus.

Quebeci, die 21 maii, A. D. 1863.

PII PAPÆ IX LITTERÆ

AD RR. PP. DD. C.-F. BAILLARGEON, EPUM TLOANUM, ADMREM AP. METROPOLITANÆ ECCLESIÆ QUEBECENSIS, ET RELIQUOS EPISCOPOS PROVINCIÆ CANADENSIS

Super actis tertii Concilii Quebecensis.

PIUS PP. IX.

Venerabiles Fratres, Salutem et Apostolicam Benedictionem. Hisce diebus vestras libentissime accepimus litteras die 21 proximi mensis maii datas, quibus, Ve-

nerabiles Fratres, Nobis misistis acta tertii provincialis Concilii a vobis concelebrati, ut acta ista supremo Nostro, et hujus Apostolicæ Sedis examini, et judicio ex majorum more et instituto subjicerentur. Nos, nulla interposita mora, Nostræ congregationi fidei propagandæ præpositæ eadem acta recognoscenda commisimus, ut omnia sedulo ex more perpendat, et accurate ad Nos deferat, ac deinde congruum vobis det responsum. Interim vero vobis ex animo gratulamur, de episcopali sollicitudine, qua commemoratum Concilium peragendum curastis. Ex eisdem autem vestris litteris magis magisque agnovimus, quanta Nos, et hanc Petri Cathedram fide, amore, et observantia prosequamini, et quanto in dolore versemini, Venerabiles Frates, propter gravissimas Nostras acerbitates a Dei hominumque hostibus excitatas, qui ambulantes in impietatibus, et jura omnia divina et humana conculcantes, acerrimum Catholicæ Ecclesiæ, Apostolicæ huic Sedi, Nobisque inferunt bellum, et civilem Nostrum, atque ejusdem Sedis principatum omnino destruere volunt. Qui quidem egregii vestri sensus omni laude dignissimi summo Nobis solatio, et consolationi fuerunt, inter maximas, quibus premimur, angustias et amaritudines. Nihil vero dubitamus, quin vos in hac præsertim tanta impiorum hominum contra Catholicam Ecclesiam conspiratione velitis majore usque cura, studioque ejusdem Ecclesiæ causam, jura, doctrinam ac libertatem strenue tueri ac defendere. Et quoniam probe nostis monstrosa opinionum portenta, ac diabolicas prorsus artes, insidias, et molitiones, quibus inimici homines omnium mentes, animosque corrumpere, et a religione catholica avellere conantur, iccirco certi sumus, vos, Venerabiles Frates, pro eximia vestra religione et sacerdotali zelo, nihil

unquam inexpertum esse relicturos, quo adversariorum insidias detegere, errores coarguere, impetus frangere, et fideles curæ vestræ commissos ab venenatis pascuis arcere, ad salutaria propellere, eosque magis in dies enutrire verbis fidei, et per gratiarum charismata confirmare, et omnes miseros errantes ad veritatis, salutisque semitas revocare et Christo lucrifacere possitis. Pergite autem una cum vestro clero populoque fideli ferventissimas Deo Optimo Maximo sine intermissione adhibere preces, ut exurgat et judicet causam suam, et omnipotenti sua virtute turbulentissimam hanc depellat tempestatem ex inferorum portis contra Ecclesiam suam sanctam excitatam, utque omnes Ecclesiæ et Apostolicæ hujus Sedis inimicos humiliet, disperdat, illosque de perditionis via ad justiciæ, veritatis, salutisque tramitem reducat. Persuasissimum autem vobis sit, Nos paratissimos esse ad ea omnia peragenda, quæ in majorem vestram, ac vestrarum diœcesium utilitatem cedere posse noverimus. Interim vero divitem in misericordia Deum orare et obsecrare non desistimus, ut uberrima quæque divinæ suæ gratiæ dona super vos propitius semper effundat, quæ in dilectas quoque oves vobis traditas copiose descendant. Atque horum auspicem, et præcipuæ Nostræ in vos benevolentiæ pignus Apostolicam Benedictionem effuso cordis affectu vobis ipsis, Venerabiles Frates, cunctisque clericis laicisque fidelibus cujusque vestrum vigilantiæ concreditis peramanter impertimus.

Datum Romæ, apud S. Petrum, die 16 novembris anno 1863, Pontificatus Nostri anno decimo octavo.

PIUS PP. IX.

DECRETUM

S. CONGNIS DE PROPAGANDA FIDE

Pro Decretorum approbatione.

Cum vertente mense maio anni 1863, RR. PP. DD. Franciscus Baillargeon, Epus. Tloanus, Administrator Ap. Metropolitanæ Ecclesiæ Quebecensis, et reliqui Episcopi Canadenses tertiam provincialem Synodum Quebecensem celebraverint, ejusque decreta judicio et approbationi S. Sedis subjecerint, S. C. christiano nomini propagando præposita in generalibus comitiis habitis diebus 30 januarii, et 22 maii hujusce anni 1865, referente Emo ac Rmo Dno Cardinali Ludovico de Alteriis, post accuratum omnium quæ in Synodo gesta sunt examen, ejus sollicitudine pro religionis incremento, et ecclesiasticæ disciplinæ custodia plurimum commendata, illius decreta censuit esse approbanda.

Hanc autem S. C. sententiam SSmo D. N. Pio Div. Provid. PP. IX ab R. P. D. Hannibale Capalti secretario in audientia diei 28 ejusdem mensis relatam, Sanctitas Sua benigne confirmavit, ac decreta, de quibus agitur, in tota Quebecensi provincia promulgari, ac servari jussit.

Dat. Romæ ex æd. dictæ S. C. de P. F. die 19 aug. 1865.

Al. C. Barnabo, Præf.

H. Capalti, Secrius.

ACTA ET DECRETA

QUARTI CONCILII

PROVINCIÆ QUEBECENSIS

IN

CIVITATE QUEBECENSI

CELEBRATI

A SANCTA SEDE REVISA ET RECOGNITA ANNO
PONTIFICATUS PII PAPÆ NONI XXIV
DOMINI MDCCCLXIX

QUEBECI
1870

ACTA ET DECRETA

QUARTI CONCILII

PROVINCIÆ QUEBECENSIS

ANNO MDCCCLVIII

CELEBRATI

PRÆSIDE ILLUSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO

ARCHIEPISCOPO QUEBECENSI

EDICTUM

CONVOCATIONIS CONCILII PROVINCIALIS IV QUEBECENSIS

CAROLUS-FRANCISCUS BAILLARGEON,

MISERATIONE DIVINA ET SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ GRATIA,
ARCHIEPISCOPUS QUEBECENSIS, SOLIO PONTIFICALI
ASSISTENS, ETC., ETC., ETC.

Reverendissimis Fratribus Nostris Episcopis, necnon venerabilibus Abbatibus, Capitulis, aliisque provinciæ Quebecensis Ecclesiasticis, qui, de jure, vel consuetudine, Concilio provinciali interesse debent, Salutem in Domino.

Cum sacrosanctæ et œcumenicæ Synodi Tridentinæ decreto sancitum sit, ut provincialia concilia, sicubi omissa sunt, pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, aliisque ex sacris canonibus permissis, renoventur; atque propterea, Metropolitani, quolibet saltam triennio, post octavam Paschæ Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi, seu alio commodiori tempore, pro more provinciæ, non prætermittant synodum in sua quisque provincia cogere, quo Episcopi omnes, et alii, qui, de jure, vel consuetu-

dine, interesse debent, convenire omnino teneantur (Sess. XXIV) ; Nos, quantum in Nobis est, officio nostro satisfacere volentes, sanctorumque Patrum exemplo adducti, expetita prius Reverendissimorum Fratrum nostrorum Episcoporum sententia, re mature considerata, atque sacro Dei nomine invocato, ad majorem Dei gloriam, et utilitatem ecclesiarum totius provinciæ Quebecensis, provincialem Synodum, in ecclesia nostra metropolitana Quebecensi celebrandam, indicere et convocare decrevimus, illamque in dicta ecclesia ad feriam quintam hebdomadæ primæ mensis maii, diem septimam ejusdem mensis præsentis anni, in festo S. Stanislai episcopi et martyris, incipiendam, ac postea usque ad finem prosequendam, per præsentes indicimus atque convocamus.

Quapropter Reverendissimos in Christo Fratres, Marianopolitanum, Ottawiensem, S. Bonifacii (districtus *Nord-Ouest*), Trifluvianensem, Regiopolitanum, Hamiltonensem, Torontinum, S. Hyacinthi, S. Germani de Rimouski, Sandovicensem, Episcopos comprovinciales nostros, eorumque coadjutores *cum futura successione*, capitula, nec non et venerabiles Abbates, et alios quoscumque, qui, de jure, vel consuetudine, Concilio provinciali interesse debent, hortamur, ac, in quantum opus est, mandamus atque præcipimus, ut ad prædictam Synodum, et assignata die, conveniant, et personaliter compareant, nisi forte justo detenti fuerint impedimento, quod probare tenerentur, per procuratores ab ipsis legitime electos, a quibus in Synodo vices eorum repræsentarentur.

In hac autem nostra Synodo provinciali, post emissam, a quibus de jure, professionem fidei Catholicæ, tractabitur, juvante Deo, de divisione hujus provinciæ,

de modo providendi ad evangelisandas barbaras et infideles nationes silvicolas quæ immensas regiones, sese extendentes a finibus hujus provinciæ usque ad septentrionalem oceanum inhabitant ; atque de aliis ad disciplinam ecclesiasticam pertinentibus, vel ad mores fidelium corrigendos informandosque conducentibus, prout expedire Patribus concilii visum fuerit.

De hac autem convocatione Synodi provincialis in nostra ecclesia metropolitana Quebecensi celebrandæ omnes Reverendissimi Episcopi provinciæ monebunt suarum respective ecclesiarum cathedralium capitula, aliosque, qui huic Synodo interesse tenentur.

Denique, Venerabiles Fratres, enixe vos obsecramus ut hanc synodum in precibus et sacrificiis vestris Deo Optimo Maximo commendetis Patri omnipotenti, *qui operatur in nobis velle et perficere :* Filioque ejus Domino Nostro Jesu Christo, *sine quo nihil possumus facere :* et Spiritui Sancto *qui omnia scrutatur, etiam profunda Dei, ut nobiscum sit et nobiscum laboret ;* ut mentes illuminet, corda succendat ; utque nostra actio et operatio, bene incœpta, bene et feliciter ad exitum perducatur.

Datam Quebeci, ex ædibus archiepiscopalibus, sub signo sigilloque nostro, ac secretarii nostri chirographo, hac die secunda mensis februarii, dominica quarta post Epiphaniam, in festo Purificationis Beatissimæ Mariæ Virginis, anno millesimo octingentesimo sexagesimo octavo.

✠ C.-F., ARCHIEPPUS QUEBECENSIS.

De Mandato Illustrissimi ac Reverendissimi D. D. Archiepiscopi Quebecensis.

A.-H. GOSSELIN, Pter.,
Secretarius.

(Circulaire aux Evêques de la Province.)

ARCHEVECHÉ DE QUÉBEC,
2 février 1868.

MONSEIGNEUR,

J'ai l'honneur de vous adresser ci-joint la lettre de convocation du 4ème Concile provincial, qui devra s'ouvrir le jeudi, sept de mai prochain, jour de la fête de S. Stanislas, évêque et martyr.

Votre Grandeur voudra bien avoir l'attention de se rendre dès la veille de l'ouverture du Concile, afin d'assister aux congrégations préparatoires, qui devront indispensablement avoir lieu ce jour-là.

Je n'ai pas oublié, Monseigneur, que l'on est comme convenu, à notre réunion à Toronto, au commencement de décembre dernier, de placer la célébration de notre Concile vers la fin de mai. Cependant j'ai la confiance que vous ne me blâmerez pas d'avoir pris sur moi d'en avancer l'époque, comme je fais, au commencement de ce mois, par considération pour Mgr. Taché, qui vient de me signifier qu'il ne pourrait y assister, comme il le désire, avec Mgr. Grandin, s'il devait être célébré plus tard.

Votre Grandeur voudra bien me pardonner aussi d'avoir différé jusqu'à ce jour de convoquer ce Concile. J'ai voulu être décoré du saint Pallium auparavant. Or, ce n'est que le 21 du mois dernier qu'il m'a été remis par Monsieur le Grand Vicaire Truteau ; et seulement aujourd'hui que j'ai pu en être revêtu solennellement, selon les prescriptions de l'Eglise.

Comme il est d'usage que les Evêques, en se rendant au Concile de leur province, se fassent accompagner de quelques théologiens, je désire que Votre Grandeur en

amène un avec Elle, et qu'Elle le choisisse, s'il est possible, parmi ceux de son diocèse qui ont été nommés témoins synodaux dans le dernier Concile.

Permettez-moi de vous demander en finissant, de vouloir bien inviter le clergé, les communautés et tous les fidèles de votre diocèse, à prier le Père des lumières de nous éclairer et de nous guider lui-même par son Saint-Esprit, dans notre prochain Concile : afin que tout ce que nous y ferons puisse contribuer puissamment au bien de notre sainte religion, au salut des âmes qui nous sont confiées, et à sa plus grande gloire.

Et je demeure, avec le plus respectueux attachement,

Monseigneur,
de Votre Grandeur,
le très-humble et très-dévoué serviteur,

✠ C.-F., ARCHEVEQUE DE QUÉBEC.

PRIMA CONGREGATIO PRIVATA.

Juxta decretum indictionis die secunda februarii, dominica quarta post Epiphaniam, in festo Purificationis B. Mariæ Virginis, anno Domini millesimo octingentesimo sexagesimo octavo, ab Illustrissimo ac Reverendissimo D. D. Carolo-Francisco Baillargeon, Archiepiscopo Quebecensi, datum, convenerunt die sexta maii, hora nona ante meridiem, in ædibus palatii Archiepiscopalis Quebecensis, cum præfato Illmo ac Rmo Archiepiscopo, ad quartum provinciæ Ecclesiasticæ Concilium habendum.

Rmus D. D. Episcopus Marianopolitanensis, Ignatius Bourget ;

Rmus D. D. Episcopus Ottawiensis, Josephus-Eugenius Bruno Guigues ;

Rmus D. D. Episcopus Hamiltonensis, Joannes Farrell ;

Rmus D. D. Episcopus Kingstoniensis, Eduardus-Joannes Horan ;

Rmus D. D. Episcopus Torontinus, Joannes-Josephus Lynch ;

Rmus D. D. Episcopus S. Hyacinthi, Carolus La-Rocque ;

Rmus D. D. Episcopus S. Germani *de Rimouski*, Joannes Langevin ;

Rmus D. D. Sandovicensis Episcopus, Joannes Walsh ;

Rmus D. D. Episcopus Anthedonensis, Ludovicus Richer-Laflêche ;

Aberant Rmus D. D. Alexander Taché, Episcopus S. Bonifacii, qui litteris die 24a martii proxime elapsi datis, se itinere longiori impedire quin hac vice Concilio adesset exposuit, et Rmus D. D. Thomas Cooke, qui respondit Rmo Archiepiscopo die 5a præsentis mensis se infirma valetudine et provecta ætate ab assistendo concilio prohiberi.

Uterque excusatus habitus est.

Legitur supramemoratum indictionis decretum.

Deinde instrumentum delegationis a Rmo. D. D. Episcopo Trifluvianensi suo Coadjutori, scilicet Rmo. Anthedonensi Episcopo, traditum, mandato Illmi Præsidis exhibetur, quod sic se habet :

THOMAS COOKE,

Par la miséricorde de Dieu et la grâce du S. Siége Apostolique, Evêque de Trois-Rivières,

A Notre bien-aimé Coadjuteur Monseigneur Louis Laflèche, Evêque d'Anthédon.

Salut et fraternelle charité en Notre-Seigneur.

Vu l'impossibilité ou nous nous trouvons à cause des graves infirmités de notre âge d'assister en personne au Concile provincial qui doit prochainement se tenir à Québec, au palais archiépiscopal ;

Vu qu'il est juste et selon l'esprit de l'Eglise que tous les suffragants soient réunis en personne, ou par leurs députés autour de la personne du Métropolitain à pareille circonstance ;

En conséquence et de notre plein et libre choix et pour l'acquit de notre conscience, nous, Evêque des Trois-Rivières, soussigné, vous nommons, vous Monseigneur, Evêque d'Anthédon et notre bien-aimé Coadjuteur, notre Délégué spécial pour nous représenter au dit Concile provincial, et y agir et être comme notre Député et tenant-lieu.

Donné aux Trois-Rivières, en notre demeure épiscopale, le cinquième jour de mai de l'an de Notre Seigneur 1868.

✠ THOMAS, Ev. des T.-R.

Par Monseigneur,

AG. LEGRIS, Ptre.,
Secrétaire.

Placuit Patribus dictum Rmum. Anthedonensem Episcopum in sede sui Coadjuti cum voce decisiva admittere.

Illmo ac Rmo Archiepiscopo perlatæ quoque sunt litteræ Rmi S. Bonifacii Episcopi, sacerdotem Natalem-Josephum Ritchot deputantes ut causas a Concilio absentiæ Rmis Patribus suo nomine exponeret.

Illmus ac Rmus Præses coram conventu litteras excusationis Rmi Germanicopolis Episcopi ad Concilium benevole invitati exhibet.

Lecto instrumento delegationis Rmi capituli ecclesiæ cathedralis Marianapolitanæ, Rmus can. Josephus-Octavius Paré, dicti cathedralis ecclesiæ capituli primicerius, admittitur tanquam deputatus ab eodem capitulo.

Illmus ac Rmus Archiepiscopus, de concilio et consensu Rmorum aliorum Patrum Concilii sequentes officiales ad dictum Concilium adjuvandum eligit et nominat, nempe :

1. Promotorem Concilii : — admodum Rvdum D. Carolum-Felicem Cazeau, Archidiœcesis Vicarium Generalem ;

Vice-Promotorem : — Rmum canonicum Josephum Octavium Paré, capituli cathedralis ecclesiæ Marianopolitanæ primicerium.

2. Secretarium : — admodum Rvdum D. Edmundum Langevin, Rmi Episcopi S. Germani *de Rimouski* Vicarium Generalem, et theologiæ in majori Seminario S. Germani professorem ;

Pro-Secretarium : — Rvdum D. Augustum-Honoratum Gosselin, Archidiœcesis secretarium.

3. Magistrum Cæremoniarum :—Rvdum D. Antonium-Adulphum Gauvreau, domus Archiepiscopalis

eleemosynarium; et adjutorem magistri cæremonarium, Dominum Carolum Baillargeon, diaconum, pro-secretarium Archidiœcesis.

4. Cantores :—Revdum D. Josephum Auclair, cathedralis Quebecensis parochum, necnon et Revdum Thomam-Stephanum Hamel, in scientiis licentiatum et in Universitate Lavallensi professorem.

Admittit quoque tanquam theologos et canonistas :

1. Illmi ac Rmi D. D. Archiepiscopi :—admodum Rev. D. Alexium Mailloux, Archidiœcesis Vicarium Generalem ; adm. Rev. D. Elzearum - Alexandrum Taschereau, juris canonici doctorem, et Vicarium Generalem Archidiœcesis necnon et philosophiæ theologiæque professorem in Seminario Quebecensi ; adm. Rev. Ludovicum Proulx, Vicarium Generalem Archidiœcesis, parochum a S. Maria *de la Beauce*, necnon et Revdum D. Michaelem-Eduardum Méthot, magistrum artium, Superiorem Seminarii Quebecensis et Rectorem Universitatis Lavallensis ;

2. Rmi D. D. Marianopolitani Episcopi :—Revdum Patrem Vignon, societatis Jesu, Rectorem Collegii S. Mariæ Marianopoli existentis et Revdum D. Isidorum Gravel, parochum a Nativitate B. M. V., vulgo *Laprairie ;*

3. Rmi D. D. Ottawiensis Episcopi :—Revdos Dnos Josephum-Adulphum Tortel, Congregationis Oblatorum Mariæ Immaculatæ presbyterum, Moderatorem Collegii Ottawiensis, et Josephum Michel, a S. Paulo vulgo *Aylmer* parochum ;

4. Rmi D. D. Anthedonensis Episcopi :—admodum Revdos D. D. Carolum-Olivarium Caron, Vicarium Generalem et monasterii S. Ursulæ in civitate Trifluviana existentis capellanum, et Thomam Caron, Vicarium Generalem, et Superiorem Seminarii Nicoleta-

nensis, et Revdum Natalem-Josephum Ritchot, missionarium S. Bonifacii ;

5. Rmi D. D. Hamiltonensis Episcopi :—Revdum Patrem Funckin, sacræ theologiæ doctorem, Superiorem Resurrectionistarum in Hamiltonensi diœcesi, et Revdum D. Michaelem-Josephum O'Farrell, Sti Sulpitii presbyterum ;

6. Rmi D. D. Kingstoniensis Episcopi :—admodum Revdum D. Olivarium Kelly, Vicarium Generalem, et parochum loci dicti *Peterboro* et Revdum Jacobum-Joannem Chisholm, sacræ theologiæ doctorem et parochum loci dicti *Perth ;*

7. Rmi D. D. Torontini Episcopi :—admodum Rev. Joannem-Franciscum Jamot, Vicarium Generalem, et Revdum Richardum-Alphonsum O'Connor, parochum loci dicti *Niagara Falls ;*

8. Rmi D. D. S. Hyacinthi Episcopi :—adm. Revdum D. Josephum-Sabinum Raymond, Vicarium Generalem et Seminarii S. Hyacinthi Superiorem ; Revdos D. Carolum-Adrianum Delacroix, parochum ecclesiæ cathedralis S. Hyacinthi, et Joannem-Baptistam Dupuis, parochum a S. Antonio ;

9. Rmi D. D. S. Germani *de Rimouski* Episcopi :—admodum Rev. D. Edmundum Langevin, Vicarium Generalem, et theologiæ professorem in Seminario S. Germani, et Rev. D. Joannem - Baptistam Gagnon, parochum a N. D. *des Trois-Pistoles ;*

10. Rmi D. D. Sandowicensis Episcopi :—Revdum D. Jacobum Murphy, parochum loci dicti *Irishtown*, et Revdum D. Benjaminum Pâquet, doctorem sacræ theologiæ, et professorem theologiæ in Seminario Quebecensi.

Statuitur eumdem fere ordinem servandum esse quoad præcedentiam, ac in primo Concilio ; scilicet :

Omnes procedent et sedebunt ordine sequenti ;

1. Archiepiscopus, Episcopi titulares, administratores coadjutores, Episcopi extranei, omnes secundum ordinem promotionis suæ ;

2. Procuratores Episcoporum ;

3. Deputati a capitulis juxta prioritatem promotionis;

4. Vicarii Generales Archiepiscopi, et dein alii ;

5. Superiores Seminariorum et Ordinum jam ad Concilium vocati ; in ordine antiquitatis domus suæ ;

6. Cæteri vero pro jure ordinationis, regulares post sæculares.

Proponuntur et unanimiter admittuntur a Patribus quæ sequuntur decreta, in prima sessione legenda, scilicet : 1. de aperienda Synodo ; 2. de modo vivendi in Concilio ; 3. de professione fidei.

Quoad ordinem servandum : 1. ab omnibus qui interesse debent Concilio ; 2. in privatis congregationibus Episcoporum ; 3. in congregationibus particularibus, statuunt Patres easdem regulas esse sequendas, ac in primo Concilio : excepto quod missa conventualis quotidie habebitur hora octava.

Sequentes deinde ordinantur congregationes, ad expendendum diversas a Patribus proponendas quæstiones:

Prima scilicet de Decretis.

Rmo D. D. S. Germani *de Rimouski* Episcopo præside :

Rev. D. Eduardus-Michael Méthot ; et Rev. D. Ol. Kelly, et Rev. Patres Tortel et Funckin.

Secunda de Doctrina.

Rmo D. D. Ottawiensi Episcopo præside :

Adm. Rev. D. E.-A. Taschereau, V.G. ; J.-F. Jamot, V. G. ; L. Proulx, V. G. ; J.-J. Chisholm ; Benj. Pâquet et C.-A. Delacroix.

Tertia de Liturgia.

Rmo D. D. Hamiltonensi Episcopo præside :
Rev. D. J.-O. Paré ; adm. Rev. D. Th. Caron, V. G. ; Rev. D. R.-A. O'Connor ; J. Michel et N.-J. Ritchot.

Quarta de Disciplina.

Rmo D. D. Kingstoniensi Episcopo præside :
Adm. Rev. D. Al. Mailloux, V. G. ; Rev. D. J.-B. Dupuis ; J. Gravel ; J.-B. Gagnon et J. Murphy.

Quinta de Studiis.

Rmo D. D. Anthedonensi Episcopo præside :
Adm. Rev. D. J.-S. Raymond, V. G. ; Ol. Caron, V. G. ; Ed. Langevin, V. G. ; Rev. Pater Vignon, S. J. et D. M.-J. O'Farrell.

Patres tamen, has congregationes instituendo, sibi reservant, ad majorem quæstionum expeditionem, facultatem cuilibet congregationi materias nomini dictæ congregationis haud convenientes, aliquando proponendi.

Statuitur denique primam congregationem generalem habendam esse eodem die, tertia hora post meridiem, in majori aula palatii archiepiscopalis.

Quibus peractis, dicitur oratio *Sub tuum*, et recedunt Patres.

De mandato.

Edmundus Langevin, P.,
Secrius.

A.-H. Gosselin, Pter.,
Pro-Secrius.

PRIMA CONGREGATIO GENERALIS.

Eadem die, hora tertia post meridiem, in congregatione generali, in aula majori palatii archiepiscopalis, eodem modo ac in primo Concilio strata et adornata, conveniunt omnes Rmi Episcopi, ad primam congregationem privatam præsentes, rochetto et mozetta induti.

Adsunt quoque in habitu ordinario, Rmus deputatus a capitulo cathedralis ecclesiæ Marianopolitanæ, necnon et officiarii et theologi Concilii, ad dictam congregationem rite convocati.

Post orationem *Adsumus*, facie versa ad imaginem crucifixi, per promotorem Concilii proclamantur :

1. Nomina officialium qui in prima congregatione privata a Patribus electi fuerant ;

2. Nomina theologorum et canonistarum a quocumque Episcopo selectorum.

Deinde legitur ordo præcedentiæ qui jubetur a Patribus in hoc præsenti Concilio servandus.

Proclamantur congregationes diversæ, scilicet, de decretis, de doctrina, de liturgia, de disciplina et de studiis, eo modo quo a Patribus in privata prima congregatione, coordinatæ sunt.

Postea leguntur tria decreta quæ in sessione prima, sequenti die habenda, proclamanda sunt scilicet :—1. de aperienda Synodo ; 2. de modo vivendi in Concilio ; 3. de professione fidei.

Legitur quoque ordo qui adhibitus est in primo Concilio, et qui, ad mentem Patrum, servandus est etiam in præsenti Concilio : 1. Quoad residentiam, necnon distributionem temporis servandam ab omnibus qui dicto Concilio interesse debent ; 2. Quoad regulas in congregationibus generalibus tenendas.

Tunc legitur et admittitur promissio ordinaria de secreto ab omnibus custodiendo, circa res in Concilio actas, et quæ possent detrahere, vel reverentiæ concilio debitæ, vel honori cujusvis personæ.

Tandem indicatur prima sessio, die sequenti, hora nona ante meridiem habenda ; dictaque oratione *Sub tuum*, finem habet prima generalis congregatio.

De mandato,

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,
Secrius.

A.-H. GOSSELIN, Pter.,
Pro-Secrius.

SECUNDA CONGREGATIO PRIVATA.

Eadem die, sexta maii, hora prima post meridiem, conveniunt Patres et legitur relatio præcedentis Congregationis.

Jubetur ut Rev. N.-J. Ritchot, delegatus a Rmo Sti Bonifacii Episcopo, ad explicatorias absentiæ sui præsulis rationes Patribus subjiciendum, in congregatione se sistat et oretenus mandatum explanet ; et statim comparet prædictus delegatus, et mandato expleto discedit.

Ab Illmo ac Rmo D. D. Archiepiscopo proponuntur aliqua decreta a Synodo sancienda, id est :

1. De fide ;
2. De sanctitate vitæ clericorum ;
3. De libris ephemeridibusque improbis ;

Quæ perlecta deferuntur, primum et quartum ad congregationem de doctrina, secundum ad congrega-

tionem dedisciplina, tertium ad congregationem de studiis, quintum ad congregationem de decretis, et sextum ad congregationem de liturgia.

4. De Ecclesia et de Summo Pontifice ;

5. De societatibus secretis ;

6. De cultu.

Statuitur secundam sessionem indicendam esse ad dominicam proximam.

Hora nona, oratione dicta, recedunt Patres.

De mandato,

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,
Secrius.

A.-H. GOSSELIN, Pter.
Pro-Secrius.

TERTIA CONGREGATIO PRIVATA.

Eadem die, septima maii, hora tertia post meridiem conveniunt Patres, et legitur relatio primæ congregationis generalis, necnon et secundæ congregationis privatæ.

Illmus et Rmus Archiepiscopus mandat ut in congregatione de decretis præparetur decretum de invocatione et veneratione Beatissimæ et Immaculatæ Virginis Mariæ.

Statuitur referre ad congregationem de studiis sequentem quæstionem :

Est-ne opportunum edere decretum de prohibitione scenicarum repræsentationum in institutionibus quæ diriguntur ab ecclesiasticis, religiosisve, monialibus ve ?

Ad congregationem autem de disciplina, aliam quæstionem scilicet :

Est-ne opportunum edere decretum de prohibitione recreationum vulgo nominatorum *pic-nics*, *concerts-promenades*, et aliorum ejusmodi, quæ locum habent ad pium finem, seu ad opera charitatis ?

Tandem, oratione facta, recedunt Patres.

De mandato,

Edmundus Langevin, P.,
Secrius.

A.-H. Gosselin, Pter.,
Pro-Secrius.

SESSIO PRIMA.

Anno Domini millesimo octingentesimo sexagesimo octavo, Pontificatus autem SSmi D. N. Pii Papæ IX, vigesimo secundo, die septima maii, hora nona ante meridiem, conveniunt Patres in majori aula palatii archiepiscopalis ; adest quoque deputatus a capitulo Marianopolitano, necnon et theologi ac officiales Concilii, multique alii sacerdotes.

Coordinata processione, a palatio omnes egrediuntur, et ob aeris intemperiem, per viam privatam ad metropolitanam ecclesiam, eodem fere modo et ordine ac in prima sessione primi Concilii, Illmo ac Rmo Archiepiscopo cæterisque Rmis Concilii Patribus pluviali albi coloris ac mitra, aliisque Concilii membris, vestibus sibi competentibus, indutis, procedunt cantando litanias sanctorum.

Ecclesiam ingressi, Rmi Concilii Patres pergunt ad faldistoria, in utraque parte chori disposita, cæterique adeunt stallos.

Rmus Archiepiscopus, præmissa oratione ad pedes altaris, pergit ad thronum, ibique pluviale exuens, pontificalia assumit ornamenta, cum pallio; dein ad altare regreditur, missamque celebrat de Spiritu Sancto.

Finita missa, Archiepiscopus pallium, casulam, tunicellas et manipulum deponit, et pluviali indutus, sedet in faldistorio quod infra gradus altaris locatur; ministri vero qui celebranti Pontifici astiterunt, sedilia prope eum, a dextris et a sinistris occupant. Disponitur in medio chori mensa ornata, cum sacrorum bibliorum codice, et prope mensam crux archiepiscopalis erigitur. Tunc cantantur antiphona *Exaudi nos*, et psalmus *Salvum me fac*.

Psalmo finito et repetita antiphona, recitantur litaniæ sanctorum et aliæ preces in *cæremoniali Concilii provincialis* indicatæ.

Postea concionem habet ad populum Rmus Episcopus S. Germani.

Sermone finito, instantibusque promotoribus Concilii, promulgantur a secretariis et approbantur a Patribus, cum cæremoniis solitis, sequentia decreta :

1. De aperienda Synodo ;
2. De modo vivendi in Concilio ;
3. De professione fidei ;

Hanc professionem fidei recitat altiori voce secretarius; et postea accedunt Rmus D. Ludovicus Richer-Laflèche, Epus Anthedonensis, Rmus D. Carolus La-Rocque, Epus S. Hyacinthi, Rmus D. Joannes Langevin, Epus S. Germani, et Rmus Joannes Walsh, Epus Sandowicensis, qui ad dictas sedes a tempore ultimi Concilii promoti fuerant; et unusquisque ante præsidem genuflexus, manuque ad evangeliorum librum apposita, juramenti formulam emittit.

Deinde indicitur secunda sessio Concilii ad diem decimam præsentis mensis, nisi pro rebus Conçilii bene gerendis aliud conducere videatur.

Tandem benedictione solemni ab Illmo et Rmo Archiepiscopo impertita clero populoque, omnes processionaliter, eo ordine quo advenerant, ad domum archiepiscopalem in pace recedunt.

De mandato,

Edmundus Langevin, P.,
Secrius.

A.-H. Gosselin, Pter.,
Pro-Secrius.

QUARTA CONGREGATIO PRIVATA.

Feria sexta, id est die octava maii, hora nona ante meridiem, conveniunt Patres, legiturque relatio ultimæ congregationis privatæ, necnon et sessionis primæ.

Statuitur referre ad congregationem de disciplina sequentes quæstiones :

1. Quomodo providendum vitæ necessariis presbyteri, diaconi vel etiam subdiaconi, qui ordinatus est titulo missionis, juramentumque Episcopo præstitit, quando factus est impar muneri ecclesiastico propter infirmitatem, provectam ætatem vel vitiosam vitam ?

2. In quibusdam diœcesibus existit quædam contributio annualis a plerisque presbyteris collecta. Quoad autem eos qui nihil dant, quomodo illorum victui in casu infirmitatis, provectæ ætatis vel vitii providebitur ?

3. In alterius diœcesis synodo statutum est ut quotannis singuli presbyteri quamdam pecuniæ summam

darent. Nonne opportunum esset omnes presbyteros secundum legum Ecclesiæ rigorem adstringere ad sese conformandum huic decisioni ?

4. Quænam summa tituli clericalis, in provincia Quebecensi, sufficeret ut observarentur prescriptiones juris canonici, ita ut Episcopus salvatur ab omni obligatione per seipsum, quem ordinavit sustentandi ?

Ad congregationem de doctrina refertur sequens quæstio :

An decretum *Tametsi* ut promulgatum haberi debeat in missionibus quæ quidem *facto* sunt parochiæ, sed erectione canonica et civili egent ?—si hoc decretum nondum promulgatum fuit, an fieri debeat hæc promulgatio ?

Ad congregationem de disciplina :

Nonne opportunum foret statuere ut modo uniformi contribuant fideles, ad agriculturam non incumbentes, parochorum victui ?

Tandem dicta oratione, recedunt Patres.

De mandato,

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,
Secrius.

A.-H. GOSSELIN, Pter.,
Pro-Secrius.

QUINTA CONGREGATIO PRIVATA.

Eadem die, hora secunda post meridiem, conveniunt Patres, dictaque oratione, legitur relatio ultimæ congregationis privatæ.

Ad congregationem de liturgia refertur sequens quæstio :

Est-ne opportunum petere a senatu-legifero ut in missionibus Canadæ Inferioris, ubi decimæ legales (*la dime*) non sufficiunt, sancietur a lege civili taxa proportionalis, quam in quibusdam missionibus Episcopus imponit, et quæ a majori parte fidelium bona videtur ?

Ad congregationem de doctrina refertur decretum de electionibus.

Ad congregationem de decretis refertur decretum de fide, quod jam a Patribus accipitur.

Legitur iterum decretum de Ecclesia et de Summo Pontifice cum suggestionibus congregationis de doctrina.

Placet hoc decretum Patribus, et admittitur prima suggestio congregationis de doctrina.

Censetur autem non inserendos esse in hoc decreto paragraphos incipientes—*Quoniam vero*—suggestos ab eadem congregatione, sed potius referendum esse hoc idem decretum ad congregationem et præparanda esse quatuor distincta ad utilius confutandos errores in nostra provincia grassantes, scilicet : 1° Decretum de divortio ; 2° De jure Ecclesiæ in dirigenda juventutis christianæ institutione ; 3° De societatibus secretis ; 4° De clericorum in rebus civilibus interventu.

Ad congregationem vero de decretis mittitur decretum *de sanctitate vitæ clericorum*, Patribus etiam bene visum.

Et prece ad Deum dicta, abeunt Patres.

De mandato,

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,
Secrius.

A.-H. GOSSELIN. Pter.,
Pro-Secrius.

SECUNDA CONGREGATIO GENERALIS.

Feria quinta, die septima maii, hora quarta post meridiem, conveniunt, loco solito, omnes ad congregationem generalem pertinentes.

Leguntur acta primæ congregationis generalis.

Secretarius congregationis de doctrina illius relationem legit super utroque decreto *de fide*, et *de ecclesia et Summo Pontifice* ; quæ postea a theologis discutitur.

Legitur etiam perpenditurque relatio congregationis de decretis supra decreto *de societatibus secretis.*

Congregatio de disciplina suam exhibet relationem super decreto *de sanctitate vitæ clericorum* ; congregatio autem de liturgia, super decreto *de cultu.*

Tunc, instante promotore, hoc decretum legitur : et deinde perpenditur a theologis.

Dicitur tandem oratio *Sub tuum*, omnesque in pace recedunt.

De mandato,

Edmundus Langevin, P.,
Secrius.

A.-H. Gosselin, Pter.,
Pro-Secrius.

TERTIA CONGREGATIO GENERALIS.

Feria sexta, die octava maii, hora quarta post meridiem, loco solito convenit congregatio generalis.

Dicta oratione, legitur relatio secundæ congregationis generalis.

Secretarius mandatur ut in relationibus non inserantur nomina nec discussionum narratio.

Leguntur a secretariis congregationum sequentes responsiones :

1. A congregatione de studiis super decreto *de libris ephemeridibusque improbis ;* ac super quæstione ad illam a Rmis Patribus directam, *de opportunitate vitandi scenicas actiones, vel theatrum redolentes quæ aliquando occupant in institutionibus clericis, religiosis vel monialibus* commendatis.

2. A congregatione de disciplina super quæstione de publicis recreationibus, vulgo nuncupatis *pics-nics, concerts-promenades,* de excursionibus in naviculis (*bateaux à vapeur* diebus dominicis vel festivis.

3. A congregatione de disciplina super quæstione num opportunum sit uniformi modo statuere quantum quisque fidelium, non jam decimarum adscriptorum solutioni pro rata sua parte ad parochi sustentationem conferre teneatur.

Discutiuntur prædictæ relationes et quæstiones suo quæque ordine, et oratione dicta, omnes discedunt.

De mandato,

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,
Secrius.

A.-H. GOSSELIN, Pter.,
Pro-Secrius.

SEXTA CONGREGATIO PRIVATA.

Sabbato, die nona maii, hora nona ante meridiem, loco solito, conveniunt Patres, dictaque oratione, leguntur acta tertiæ congregationis generalis, necnon et quintæ congregationis privatæ.

Illmus et Rmus Archiepiscopus, ante omnia, cæteros Concilii Patres certiores facit de Rmi Episcopi Satalensis, Antistitis Sti Bonifacii coadjutoris, Vitalis-Justini Grandin, qui hodierna die mane ex Europa advenie, in archiepiscopali domo præsentia.

Statuunt Patres ad votorum pluralitatem habendum esse dictum Rmum Episcopum Satalensem tanquam procuratorem Rmi Episcopi Sti Bonifacii, admittendumque in sede dicti Rmi S. Bonifacii Antistitis cum voce decisiva.

Ingreditur postea Rmus Episcopus Satalensis, sedemque sui coadjuti occupat.

Illmo Præsidi ad celebrandam missam in secunda sessione, crastina die habenda, ipsum invitanti annuit Rmus Episcopus Ottawiensis.

Placet Patribus missam de requiem pro provinciæ defunctis Episcopis, feria tertia proxima, hora septima cum dimidia, decantari; quam celebrabit Rmus Epus Satalensis.

Rogatur Rmus Episcopus S. Hyacinthi de litteris acta et decreta præsentis Concilii Summo Pontifici transmittentibus, Ipsique ob acerbissimos dolores quibus afficitur, Concilii Patrum mœrorem significantibus præparandis. Rmus Antistes curam sibi commissam acceptat.

Litteræ autem a Patribus, Concilio clauso, totius provinciæ fidelibus mittendæ, a Rmis Episcopis Anthedonensis, Torontini, S. Hyacinthi et Sandowicensis texentur.

Tunc statuunt Patres supplicandum esse SSmo D. N. Pio P. P. IX pro divisione diœcesis S. Bonifacii et erectione alterius diœcesis cui præficeretur dictus Rmus Satalensis Episcopus.

Deinde agitur de divisione provinciæ Quebecensis; quam divisionem omnes unanimiter Concilii Patres opportunam esse opinantur et a SSmo Patre petendam.

Discutitur deinde quæstio : in quot partes opportunum sit dictam provinciam dividere.

Tandem ad congregationem de decretis refertur decretum de cultu cum suggestionibus congregationis generalis ; factaque oratione, discedunt Patres.

De mandato.

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,
Secrius.

A.-H. GOSSELIN, Pter.,
Pro-Secrius.

SEPTIMA CONGREGATIO PRIVATA.

Eadem die, hora secunda post meridiem, conveniunt Patres, et dicta oratione, legitur relatio ultimæ congregationis privatæ.

Ad congregationem *de disciplina* refertur sequens quæstio :

Quomodo impediri possent presbyteri ne petant, et legiferi catholici ne proponant coram senatum emendationes in legibus fabricarum (*fabriques*) necnon et in legibus quæ ad temporalium bonorum ecclesiarum administrationem spectant, inconsultis episcopis ?

Ad congregationem autem de doctrina hæc altera quæstio proponitur :

Nonne bonum videretur, si major et minor catechismus (*le grand et le petit catéchisme*) coordinarentur, ita

ut ille non nisi hunc evolveret, et definitiones formulæque precum in utroque assimilarentur ?

Refertur ad congregationem de Studiis quæstiones quæ sequuntur :

1. Nonne optandum sit ut cursum studiorum in puellarum institutionibus a monialibus directis, modo uniformi quoad illius durationem Episcopi totius provinciæ ordinent ?

2. Quo gradato systemate effici posset ut instructio et educatio statui futuro puellarum dictas institutiones adeuntium melius convenirent ?

Quibus omnibus peractis, finem habet congregatio.

De mandato

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,
Secrius.

A.-H. GOSSELIN, Pter.,
Pro-Secrius.

QUARTA CONGREGATIO GENERALIS.

Sabbato, die nona maii, hora quarta post meridiem, conveniunt Patres, theologi necnon et officiales Concilii.

Oratione facta, leguntur acta præcedentis congregationis generalis.

Deinde, instante promotore, congregatio de Doctrina relationem suam exhibet super decreto *De Electionibus*.

Discutitur super hoc decreto.

Postea legitur responsio congregationis de Doctrina ad quæstionem ipsi a Patribus propositam de promulgatione decreti *Tametsi* in missionibus.

Congregatio de disciplina responsiones exhibet ad quatuor priores quæstiones sibi in quarta congregatione privata propositas; et deinde discutiuntur.

Tandem, oratione facta, recedunt omnes.

De mandato

EDMUNDUS LANGEVIN P.,
Secrius.

A.-H. GOSSELIN, Pter.,
Pro-Secrius.

SESSIO SECUNDA.

Die decima maii præsentis, incidente in dominicam quartam post pascha, hora nona ante meridiem, conveniunt, cum theologis et officiariis suis multisque aliis sacerdotibus, in majori aula domus archiepiscopalis, Concilii Patres qui in prima sessione aderant, necnon et Rmus V.-J. Grandin, qui hesterna die ad Concilium venit, omnesque ad ecclesiam metropolitanam, per viam publicam, ordine et solemnitate consuetis, pergunt.

Missa de festo S. Antonini occurrente, cum commemoratione de Spiritu Sancto, a Rmo Ottawiensi Antistite celebratur.

Illmus et Rmus Archiepiscopus in throno metropolitano sedet.

Finita missa, populum alloquitur Rmus Episcopus Anthedonensis.

Deinde Illmus et Rmus Præses ad pedes altaris, cum ministris suis venit, et ritibus in Pontificali Romano præscriptis pro secunda sessione Concilii provincialis

observatis, instantibusque promotoribus, sequentia decreta a secretariis proclamantur, et a Patribus more consueto approbantur, scilicet :

1° De Fide ; 2° De Ecclesia et Summo Pontifice ; 3° De Cultu ; 4° De Sanctitate vitæ Clericorum.

Tunc statuitur et proclamatur tertia sessio præsentis Concilii, feria quinta proxima, hora octava cum dimidia, ante meridiem, nisi pro bono Concilii aliter videatur, habenda.

Demum, benedictione solemni ab Illmo Archiepiscopo data, indulgentiisque publicatis, per eamdem viam ad aulam archiepiscopalem redeunt omnes.

De mandato

EDMUNDUS LANGEVIN P.,
Secrius.

A.-H. GOSSELIN, Pter.,
Pro-Secrius.

OCTAVA CONGREGATIO PRIVATA.

Eadem die, hora quarta post meridiem conveniunt Patres.

Primo legitur relatio ultimæ congregationis privatæ.

Deinde Illmus et Rmus Præses ad cæteros Concilii Patres quæstiones affert sequentes :

1. Estne supplicandum SSmo Pontifici Pio PP. IX, pro divisione provinciæ Ecclesiasticæ Quebecensis ?

Omnes unanimiter Patres Concilii affirmative respondent.

2. Estne opportunum eam dividi in tres alias, provinciam scilicet Canadæ Inferioris, provinciam Canadæ

Superioris, et provinciam Sti Bonifacii, amplectentem territorium *Nord-Ouest* ?

Omnes etiam affirmative dicunt, excepto Rmo Episcopo Ottawiensi, qui proponit provinciam præsentem dividi in quatuor provincias, quarum una Marianopolitanam civitatem ut metropolim habeat.

Deinde petitur ab Illmo et Rmo Præside :

3. Quot diœceses amplectetur provincia Canadæ Inferioris, quot provincia Canadæ Superioris, et quot provincia S. Bonifacii ?

Sed interim, a Rmo Episcopo S. Hyacinthi subjicitur propositio infrascripta, scilicet :

Supplicandum esse SSmo Pontifici : 1° pro erectione novæ diœcesis, quæ ex parte diœcesis Ottawiensis intra fines Canadæ Inferioris comprehensa, necnon et ex parte aliqua diœcesis Marianopolitanæ constaret ; 2° pro annexatione diœcesi Ottawiensi alicujus partis diœcesis Kingstoniensis.

Perpenditur a Patribus hæc propositio ; sed, hora jam multum provecta, dicitur oratio *Sub tuum* et recedunt Patres.

De mandato

EDMUNDUS LANGEVIN P.,
Secrius.

A.-H. GOSSELIN, Pter.,
Pro-Secrius.

NONA CONGREGATIO PRIVATA.

Feria secunda, die undecima maii, hora nona ante meridiem conveniunt Patres, dictaque oratione, leguntur acta sessionis secundæ necnon et octavæ congregationis privatæ.

Illmus et Rmus Præses proponit Patribus discutiendam relationem congregationis de Disciplina, de opportunitate statuendi ut in posterum modo uniformi in tota provincia fideles, agriculturæ non inservientes, suis pastoribus suppeditent sustentationem.

Censent Patres præparandum esse decretum in quo affirmetur jus divinum et ecclesiasticum quod habet Episcopus, contributionem quamdam dictis fidelibus imponendi, etiam sine sanctione civili.

Dein legitur relatio ejusdem congregationis, de recreationibus dictis *pic-nics, concerts-promenades*, etc., die dominica, in pium finem et in oblectationem, habitis, præsertim quando ab ecclesiasticis diriguntur ; agiturque de opportunitate edendi decretum super hac materia.

Opinantur Patres sufficiens fore, si aliquid de hac materia addatur Litteris Patrum, Concilio absoluto, ad fideles provinciæ mittendis.

Lecta relatione congregationis de Studiis, inter Patres perpenditur quid statuendum de repræsentationibus theatralibus in institutionibus a monialibus directis.

Censetur hoc relinquendum esse cujuscumque Episcopi in sua diœcesi judicio, nihilque a Concilio decernendum.

Legitur Decretum de libris ephemeridibusque improbis una cum relatione de illo. Annuunt Patres ple-

risque suggestionibus in ea contentis, et emendatum sic decretum congregationi de Studiis referunt.

Dicta oratione, discedunt Patres.

De mandato

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,
Secrius.

A.-H. GOSSELIN, Pter.,
Pro-Secrius.

DECIMA CONGREGATIO PRIVATA.

Eadem die, hora secunda post meridiem, conveniunt Patres.

Dicitur oratio, et deinde legitur decretum de Usura, quod refertur ad Congregationem de Doctrina.

Ad eamdem congregationem refertur etiam decretum de clericorum in rebus civilibus interventu, et aliud de Divortio, utrumque in congregatione de decretis elaboratum.

Consentitur inter Patres præparandas esse Litteras ad Concilium Centrale Propagationis de Fide Parisiis existens, ut illi agantur gratiæ pro maximo bono ipsius opera gesto, in diversis missionibus totius provinciæ Quebecensis, quibus etiam litteris digna laudis testimonia tribuantur congregationi missionariorum Oblatorum Mariæ Immaculatæ et adprecentur continuata subsidia.

Decretum de invocatione B. M. V. in congregatione de Decretis scripto traditum legitur, et de mandato Illmi præsidis illi refertur ut pia conclusio et laborum Concilii oblatio addatur.

Dicta tandem oratione, recedunt Patres.

De mandato

EDMUNDUS LANGEVIN P.,
Secrius.

A.-H. GOSSELIN, Pter.,
Pro-Secrius.

QUINTA CONGREGATIO GENERALIS.

Hora quarta post meridiem, ejusdem diei in locum solitum convenit congregatio generalis, dictaque oratione leguntur acta præcedentis congregationis generalis.

Postea legitur relatio congregationis de Liturgia super quæstione an sit opportunum petere a senatu Legifero ut in missionibus Canadæ Inferioris, ubi decimæ legales non sufficiunt, sancietur a lege civili taxa proportionalis, quæ cuiquam fideli, ab Episcopo imponeretur ?

Legitur et discutitur, 1° Relatio congregationis de doctrina, de opportunitate coordinandi Majorem minoremque Catechismum ; 2° Relatio congregationis de Studiis, seu responsiones ejus ad duas quæstiones ipsi propositas de cursu studiorum in institutionibus puellarum a monialibus directis.

Tandem dicitur oratio, et congregatio generalis absolvitur.

De mandato

EDMUNDUS LANGEVIN P.,
Secrius.

A.-H. GOSSELIN, Pter.,
Pro-Secrius.

UNDECIMA CONGREGATIO PRIVATA.

Feria tertia, die duodecima maii, in locum solitum conveniunt Patres, dictaque oratione, leguntur acta ultimæ congregationis privatæ necnon et quintæ congregationis generalis.

Illmus et Rmus Præses exhibet Litteras ad Rmos Concilii Patres a Revda Superiorissa Monasterii Ursulinarum Quebecensis, una cum Revdis Assistente-Superiorissa et Zelatrice, die 11a præsentis mensis scriptas, quibus dictos Antistites adprecantur ut ipsi Sanctissimo supplicent pro Beatificatione et Canonisatione Famulæ Dei Mariæ Guyart, in religione *Marie de l'Incarnation,* dicti monasterii fundatricis, et censetur inter Patres dictarum monialium precibus annuendum.

Agitur iterum de divisione provinciæ Quebecensis.

Illmus Metropolitanus proponit ut denuo afferatur quæstio ; An obsecrabunt SSmum Patres ut erigat novam diœcesim ex parte septentrionali diœcesis Ottawiensis et ex parte diœcesis Marianopolitanæ coalescendam ?

Rmus Epus Sti Hyacinthi e contrario postulat ut diœcesis Ottawiensis a S. Sede declaretur diœcesis *nullius.*

Neutra propositio ad votum venit ; sed Illmus Archiepus ponit sic quæstionem :

An standum sit voto includente diœcesim Ottawiensem in futura provincia Quebecensi ?

Et Episcopi ad pluralitatem votorum respondent affirmative.

Consequenter ad tertiam propositionem in octava congregatione privata submissam, pronuntiatur :

Provinciam Canadæ Inferioris amplecturam esse diœceses Quebecensem, Marianopolitan., Trifluvian., Ottawien., S. Hyacinthi, et Sti Germani de Rimouski.

Provinciam Canadæ Superioris diœceses Kingstonien., Torontinam, Hamiltonen., Sandovicensem.

Et Provinciam Sti Bonifacii, Diœceses Sti Bonifacii, alteras ex ipsa a Sanctissimo demembrandas et Vicariatum Apostolicum McKenzie.

Mandat Illmus Archiepus ut votum emissum in 8a congreg. privata registretur in præsenti relatione, id est, relative ad annexationem diœcesis Ottawiensis novæ provinciæ Quebecensi. Patres omnes responderunt affirmative, solis Epis Kingstoniensi et Hamiltonensi contradicentibus.

Tunc Rmo. Epo. Sti Germani proponente, in mandatis est ut in supplici libello ad S. Pontificem mittendo pro erectione trium ecclesiasticarum provinciarum exprimatur votum ut quamprimum novam diœcesim ex parte septentrionali diœcesis Ottawiensis et ex adjacente parte diœcesis Marianopolitanensis erigere dignetur SSmus, eamdem diœcesim provinciæ Quebecensi, et diœcesim Ottawiensem provinciæ Ontario attribuens.

Legitur decretum *de libris ephemeridibusque improbis* cum emendationibus, quæ admittuntur.

Pro trium ecclesiasticarum provinciarum erectione Illmus Archiepus legit decretum publicandum si placuerit Sanctissimo.

Proponit Illmus Archiepus ut Kingtoniensis civitas ut metropolis provinciæ Ecclesiasticæ Ontario eligatur a patribus, sed instantibus Episcopis Marianopolitanensi et Sti Hyacinthi, brevi sic enuntiat propositionem :

Quæ civitas provinciæ superioris metropolis erit ?

Tunc primum sensu Rmorum superioris Provinciæ

Eporum exquisito, et singulorum rationibus auditis, respondent Rmi Patres : Toronto, solo Epo Kingstoniensi dissentiente.

Omnes tamen censent exprimendum esse in supplici libello ad Summum Pontificem Kingstoniensem civitatem antiquiorem qu[illegible]a et sedem primi et solius Epi superioris provinci[illegible]e, sed Torontinam designatam esse ab ipsis ob majorem populi numerum, et claritatem, cum sit sedes gubernatoris et legislaturæ provincialis.

Tum e conventu discedunt Patres oratione dicta.

De mandato

EDMUNDUS LANGEVIN P.,
Secrius.

A.-H. GOSSELIN, Pter.,
Pro-Secrius.

DUODECIMA CONGREGATIO PRIVATA.

Eadem die, hora secunda cum dimidia post meridiem, conveniunt Patres, et dicitur Oratio solita.

Refertur ad Congregationem de Decretis Decretum de Divisione Provinciæ.

Legitur supplex libellus ad SSmum Pontificem super postulata Beatificatione et Canonisatione F. Dei Mariæ Guyart in religione dictæ *Marie de l'Incarnation* ; et approbatur a Patribus.

Censetur aliud etiam confici ad supplicandum SSmo Pontifici pro divisione provinciæ Quebecensis in tres provincias.

Legitur Decretum de Electionibus, et emendatum acceptatur.

Demum, dicta oratione, recedunt Patres.

De mandato

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,
Secrius.

A.-H. GOSSELIN, Pter.,
Pro-Secrius.

SEXTA CONGREGATIO GENERALIS.

Eadem die, hora quinta post meridiem, Congregatio generalis loco solito habetur.

Dicta oratione, lectisque actis quintæ congregationis generalis, exhibentur et discutiuntur : 1. Relatio Congregationis de Disciplina, de emendationibus quæ aliquando, inconsulto Episcopo, fiunt in legibus fabricarum, etc. ; 2. Relatio Congregationis de Doctrina, super Decreto de Usura, et altera relatio ejusdem Congregationis super Decreto de Interventu clericorum in rebus civilibus.

Postea, oratione de more facta, recedunt omnes.

De mandato

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,
Secrius.

A.-H. GOSSELIN, Pter.,
Pro-Secrius.

DECIMA TERTIA CONGREGATIO PRIVATA.

Feria quarta, die decima tertia maii, hora nona ante meridiem, conveniunt Patres, dictaque oratione, leguntur acta præcedentis Congregationis generalis.

Legitur et refertur ad Congregationem de Doctrina Decretum de Decimis.

Mandant Patres ut supplex libellus ad SSmum pro Beatificatione et Canonisatione Famulæ Dei *Marie de l'Incarnation*, imprimatur ad calcem præsentis Concilii.

Admittunt litteras Conciliis Centralibus *de l'œuvre de la Propagation de la Foi* Parisiis et Lugduni existentibus dirigendas.

Emendatur decretum de *Societatibus secretis* ut adhortentur ibi fideles ab illis frequentandis abstinendi, et admittitur.

Censetur præparandum esse decretum in quo declaretur Patres a gubernio civili adprecaturos esse correctionem quorumdam Codicis Civilis Inferioris Canadæ articulorum, qua statuta non satis consentanea (ut sibi videntur) catholicæ doctrinæ, emendentur.

Legitur, discutitur et admittitur decretum de Usura.

Illmus Archiepus dein proponit acclamationes in fine Synodi pronuntiandas, et, dicta oratione, discedunt Patres.

De mandato

EDMUNDUS LANGEVIN P.,
Secrius.

A.-H. GOSSELIN, Pter.,
Pro-Secrius.

DECIMA QUARTA CONGREGATIO PRIVATA.

Eadem die, hora secunda post meridiem, conveniunt Patres, factisque de more consuetis, legitur et admittitur epistola a Patribus ad Summum Pontificem una cum Actis et Decretis præsentis Concilii mittenda.

Pastoralis instructio a Patribus conciliariter publicanda in tota provincia discutitur et cum quibusdam emendationibus accipitur; posthæc imprimi jubetur, cum Illmo Metropolitano videbitur.

Exhibetur Decretum de Codice civili et, mutato verbo *legislatoribus* in verbum *gubernio*, admittitur.

Legitur et admittitur æque decretum de decimis, sed emendata additione a Congregatione de Doctrina suggesta.

Et prece dicta, sic absolvitur congregatio.

De mandato

EDMUNDUS LANGEVIN P.,
Secrius.

A.-H. GOSSELIN, Pter.,
Pro-Secrius.

SEPTIMA CONGREGATIO GENERALIS.

Eadem die, hora quarta cum dimidia post meridiem, coadunantur Patres cum theologis et officiariis, preceque dicta, legitur relatio præcedentis Congregationis.

Congregatio de Doctrina exhibet novum decretum de Divortio, cum altero sibi relato a Patribus. Legitur utrumque.

Mox præsentat eadem Congregatio relationes de decreto super Codice civili, et de decreto super decimis a fidelibus solvendis, dicuntur preces, et abeunt omnes.

Absolutis laboribus Congregationis generalis, Illmus et Rmus Archiepiscopus, nomine Rmorum Concilii Patrum, omnibus Concilii theologis et officiariis gratias agit. Tandem dicuntur preces, et abeunt omnes.

De mandato

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,
Secrius.

A.-H. GOSSELIN, Pter.,
Pro-Secrius.

SESSIO TERTIA ET ULTIMA.

Feria quinta, die decima quarta ejusdem mensis, conveniunt Patres, cum suis officiariis et theologis, multisque aliis presbyteris, hora octava cum dimidia, in aula majori domus archiepiscopalis, et per viam privatam, ob aeris intemperiem, ad Ecclesiam metropolitanam, eodem ordine et apparatu ac in utraque sessione præcedenti, procedunt.

Missa primum de SSmo Sacramento solemniter celebratur ab Illmo et Rmo Metropolitano.

Finita missa, alloquitur populum Rmus Episcopus S. Hyacinthi.

Deinde cantantur Psalmi, et recitantur preces a Cæremoniali Concilii Provincialis pro ultima sessione prescriptæ. Interea Illmus et Rmus Concilii Præses ad pedes altaris adstat.

Concilii Promotores requirunt decretorum promulgationem quæ ab ultima sessione sancita sunt a Patribus.

Leguntur et promulgantur a Secretariis alta voce hæc decreta, ordine sequenti :

1. De Libris Ephemeridibusque improbis ;
2. De Electionibus legatorum ad Senatum legiferum ;
3. De Usura ;
4. De Societatibus Secretis ;
5. De Divortio ;
6. Circa Codicem Civilem ;
7. De Decimis ;
8. De Divisione Provinciæ Ecclesiasticæ Quebecensis ;
9. De publicatione decretorum hujus Concilii Provincialis ;
10. De Invocatione et Veneratione B. M. V. Immaculatæ.

Hoc ultimo Decreto perlecto, et instantibus Concilii Promotoribus, a Secretario nominatim vocantur omnes qui de jure vel consuetudine hujus Provinciæ Synodi interesse debent : unusquisque respondet : *Adsum*.

Dein legitur Decretum Subscriptionis, illoque approbato, surgit cum mitra Illmus et Rmus Archiepiscopus, accedit ad altare et codicem decretorum superpositum propria manu subsignat ; quod fit eodem modo a cæteris Concilii Patribus.

Tunc, instantibus etiam Promotoribus, edicuntur a Patribus, ritu assueto, Decreta de indictione proximi Concilii Provincialis, et de fine Concilii ; quæ decreta, sicut omnia superius memorata, approbantur, modo ordinario, a Patribus dicentibus verbum *Placet*.

Tum Rmus et Illmus Præses, assentientibus cæteris Patribus, Concilium absolutum esse decernit.

Quo facto, venerabiles Concilii Patres alloquitur: ipsis exponit labores et decreta Concilii; necnon et benevolas gratias agit omnibus theologis et Canonistis qui scientia sua et consiliis Patres adjuverunt in tanti momenti laboribus.

Dein cantatur magna cum jubilatione hymnus *Te Deum;* tandemque, dicta Oratione *Nulla est,* cantantur a Secretariis acclamationes, quibus respondent Patres solemni voce.

Hæ autem acclamationes eædem sunt ac in prima Concilii, exceptis acclamationes pro Papa, et aliæ pro Defensoribus Romani Pontificis, quæ sic leguntur:

ACCLAMATIONES PRO PAPA.

Beatissimo Patri et Domino Nostro, Pio Papæ IX, Christi Vicario, Pontifici-Regi, veritatis ac justitiæ custodi integerrimo, victoria, pax, anni multi, et æterna memoria.

R.—Supremo Gregis dominici Pastori vires Deus addat, et annos multiplicet. Ipsum ab omnibus inimicis suis custodiat triumphareque faciat. Ipsi integrum regium Ecclesiæ patrimonium restituat ac servet. Sceptrum regni sui semper obtineat. Urbem et orbem videat in unitate compositos, spiritu sanctitatis et veritatis ambulantes ad æternæ pacis tranquillitatem.

ACCLAMATIONES PRO DEFENSORIBUS ROMANI PONTIFICIS.

Omnibus Romani Pontificis et Ecclesiæ temporalium Statuum Defensoribus, præsertim vero strenuis piisque voluntariis militibus nostris qui Romam ad pugnandum

contra Sanctæ Sedis inimicos currunt, gratiarum actio, ubique successus, ubique victoria, constans animi jucunditas corporisque valetudo, et post gloriosissimæ victoriæ triumphos felix iter ad patriam.

R.—Fiat, fiat, fiat.

Tunc Illmus et Rmus Archiepiscopus singulis Concilii Patribus osculum pacis porrigit, et ab eis vicissim accipit, dictique Patres sibi invicem dant osculum.

Solemnis postea benedictio omnibus impertitur a Rmo Metropolitano, quadraginta dierum indulgentia astantibus annuntiatur ; cantat Diaconus : *Recedamus in pace ;* respondent omnes : *In nomine Christi,* et processionaliter redeunt ad domum archiepiscopalem.

De mandato

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,
Secrius.

A.-H. GOSSELIN, Pter.,
Pro-Secrius.

DECRETA

QUARTI CONCILII PROVINCIÆ ECCLESIASTICÆ QUEBECENSIS.

DECRETUM I.

De aperienda Synodo.

In nomine Sanctissimæ et Individuæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Nos, Carolus-Franciscus Baillargeon, Ecclesiæ Metropolitanæ Quebecensis Archiepiscopus, ad laudem et gloriam Dei et Salvatoris Nostri Jesu Christi unigeniti Filii Dei, Patri consubstantialis, qui, pro nobis caro factus, unus est Dei et hominum mediator, et auctor salutis nostræ ; sub tutela et præsidio Matris ejus B. Mariæ Virginis, Sancti Petri Apostolorum principis, sanctorum quorum patrocinio nostræ ecclesiæ cathedrales et diœceses muniuntur, atque omnium sanctorum, statuimus ac decernimus, de consensu ac concilio Rmorum Episcoporum nostrorum comprovincialium, hac ipsa die septima maii inchoari atque adeo inchoatum esse Concilium provinciale, quod nostra metropolitana auctoritate indiximus et convocavimus ; Jesum Christum Dominum et Salvatorem nostrum humiliter deprecantes ut quod cœpit ipse perficiat ac quæcumque ad nostram clerique et populi ædificationem stabilienda cognovimus, ab omnibus et singulis, Deo adjuvante, observentur.

DECRETUM II.

De modo vivendi in Concilio.

Hæc Synodus provincialis, a B. Apostolo edocta quod " *omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum* ", qui eis qui postulant a se sapientiam dat omnibus affluenter, statuit omnes christifideles hujusce civitatis Quebecensis quorum sicut et totius provinciæ gratia celebratur, exhortandos esse, prout hortatur, ut se a peccatis hactenus commissis emendare, ac de cætero in timore Domini ambulare, piis operibus instare, ad sacramenta pœnitentiæ et eucharistiæ frequentius accedere, et quotidie pro Episcopis et sacerdotibus hic legitime congregatis, instanter orare velint ; eosdem vero Episcopos et Sacerdotes ut assidue incumbant in laudibus Dei, atque singulis diebus, in quantum fieri poterit, sanctissimum missæ sacrificium peragant, aut saltem mysteriorum celebrationi devote intersint, facientes obsecrationes, orationes et postulationes pro Ecclesia sancta Dei, pro SSmo Patre Nostro Pio Papa IX, pro Regina nostra, pro gubernatoribus et cæteris qui in sublimitate constituti sunt, et pro omnibus hominibus, ut tranquillam et quietam vitam agamus, pace fruamur, et fidei augmentum videamus. Præterea hortatur illos ut jejunent singulis sextis feriis, in memoriam Passionis Domini, omnibusque diebus mensa frugali utantur.

Et quoniam oportet Episcopos irreprehensibiles esse, hortatur etiam illos et obsecratur in Domino ut otiosas sermocinationes sedulo devitent, vitæ innocentia et integritate, fide, religione et pietate omniumque virtutum ornamento præfulgeant, ita ut in omnibus honestatem præ se ferant, sicut decet ministros Dei mysteriorum.

Cum autem Synodi provincialis scopus est, ut sacra Conciliorum Summorumque Pontificum decreta renoventur et custodiantur, illos monet summopere ipsis curandum esse ut ea accurate referantur, adjectis quibusdam, si opus est, explicationibus ; ita tamen ut non recedatur unquam a mente Sanctæ Ecclesiæ Romonæ, cæterarum ecclesiarum matris ac magistræ.

In sententiis vero dicendis nullus audeat aut immodicis verbis perstrepere, aut tumultibus perturbare, variisve et obstinatis disceptationibus contendere ; sed omnes ad gloriam Dei et animarum salutem unice conspirantes, cum modestia et animi lenitate, prout Spiritus Sanctus dabit eloqui, opportune servato ordine, proferant opiniones, in actionibus tam privatis quam publicis ; ac ita quidquid dixerint, miti verborum pro- [illegible] temperent, ut nec audientes offendantur, nec recta judicii acies perturbato animo inflectatur.

Insuper ipsa Synodus decernit ac declarat quod si forte contigerit aliquos debito in loco non sedere, sive in sessionibus, sive in congregationibus, nulli propterea præjudicium generetur, nullique novum jus acquiratur (*Conc. Trid.* 16. 2.). In qualicumque enim ordine quisque compareat et sedeat, jura illius salva esse vult Synodus.

Demum universis qui jure vocati ad hoc Concilium provinciale convenerunt, in virtute sanctæ obedientiæ præcipit, ne antequam dimissum fuerit, discedere præsumant, nisi ob rationabilem causam, facultateque petita et obtenta a Patribus ; et insuper eos hortatur ut diurnum vivendi ordinem, in prima Congregatione generali promulgatum et statutum, fideliter exsequantur.

DECRETUM III.

De professione Fidei.

Hæc Synodus a Sacrosancto Tridentino Concilio edocta, agnoscens "fidem sine qua impossibile est placere Deo, initium esse et fundamentum salutis," intelligensque quod proinde primum ac praecipuum munus pastoralis sollicitudinis est illam integram illibatamque servare fidem catholicam, quam sancta Romana Ecclesia tenet et colit, atque adlaborare ut ipsam omnes amplectantur firmiterque teneant, ante omnia "Patrum exempla in hoc secuta, statuit et decernit præmittendam esse ejusdem sanctæ et catholicæ fidei professionem." Quocirca præfati sacrosancti œcumenici concilii Tridentini decretis enitens, professionem fidei a S. M. Pio IV. Pontifici Maximo præscriptam (*infra positam*) ab omnibus et singulis Reverendissimis Episcopis in hac Synodo insidentibus, quibus eadem est prima in qua ipsi intersunt, palam ac publice emittendam jubet et mandat.

DECRETUM IV.

De Fide.

Si res ulla est quæ pastorum curam et vigilantiam postulat, ea certe maximam in primis requirit quæ ad catholicam fidem ab omni pravarum opinionum pestilentiumque errorum labe puram atque integram conservandam pertinet.

Quapropter, Nos provinciæ Quebecensis Metropolitanus et Episcopi, in Nomine Domini Nostri Jesu Christi congregati, auspice Beatissima Virgine Maria ejusdem Domini Nostri intemerata atque gloriosissima

Matre "eumdem spiritum fidei habentes", (1 Cor, 4. 13.) ante omnia eam, quam uno corde credimus, sanctam fidem catholicam, una quoque oris professione in hac Synodo palam profitemur; atque omnes fideles nobis commissos obsecramus in Domino, ut et ipsi integram inviolatamque servent hanc fidem, "quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit." (Symb. S. Athanasii.)

Totis igitur præcordiis adhæremus sanctæ, catholicæ et apostolicæ ecclesiæ, "quæ est columna et firmamentum veritatis", (1. Tim. 3. 15.) atque "contra quam portæ inferi non prævalebunt." (Matth. 16. 18.)

Itaque omnia ab eadem Sancta Ecclesia, in sacris suis canonibus, symbolis Fidei, et Œcumenicis Conciliis, ac præcipue in sacrosancta Tridentina Synodo, definita et declarata indubitanter recepimus, atque profitemur; simulque contraria omnia, atque hæreses quascumque ab ea damnatas, et rejectas et anathematisatas, nos pariter damnamus, rejicimus et anathematisamus.

DECRETUM V.

De Ecclesia et Summo Pontifice.

Certissime tenendum est juxta Symbolum Sancti Athanasii quod "Quicumque vult salvus esse, ante omnia opus est ut teneat Catholicam fidem." Quicumque autem vult "ad agnitionem veritatis venire," (I Tim. 2. 4.) fidemque catholicam profiteri, necesse habet adire Ecclesiam, in qua Christus ipse docet, et extra quam veritas inveniri nequit, eamdemque subjectissime audire, ut tandem, sic "superædificatus super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide, Christo Jesu," (Eph. 2. 19. 20) firmiter in ea permaneat.

Itaque, ut inter tot et tanta errorum pericula hujus nostræ ætatis pravæ ac perversæ, fidelibus nobis commissis rectum tramitem ostendamus, quo securi ducantur ad veritatem, ita ut " non sint sicut parvuli fluctuantes ", nec " circumferantur omni vento doctrinæ " (ibid. 4. 14.), ipsos ante omnia adhortamur ut oculos dirigant ad civitatem in monte positam, sanctam videlicet Ecclesiam catholicam, " quæ est columna et firmamentum veritatis " (I. Tim. 3. 15.), " adversus quam portæ inferi non prævalebunt ", (Matth. 16. 18.) eidemque totis præcordiis adhæreant.

Meminerint igitur omnes hanc sanctam Ecclesiam, quam ipse Christus, cui " data est omnis potestas in cœlo et in terra " (Matth. 28. 18.), divinitus condidit, cui promisit Spiritum Sanctum paracletum " ad eam docendam omnem veritatem, " (Joan. 16. 13.) cum qua seipsum mansurum esse usque ad consummationem sæculi pollicitus est, cui denique mandavit " docere omnes gentes " (Matth. 28. 19.) in omnibus audiendam esse, non tantummodo docentem, sed etiam præcipientem, eodem Christo contestante : " Qui vos audit, me audit " (Luc. 10. 16.). " Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus " (Matth. 18. 17.). " Euntes docete omnes gentes servare omnia quæcumque mandavi vobis " (ibid. 28. 19).

Verum Christus, ut unitatem Ecclesiæ suæ instauraret, eamque inconcussam faceret, ipsi caput unicum atque firmum fundamentum datum voluit. Etenim quamdiu Christus " in terris visus est, et cum hominibus conversatus est " (Baruch. 3. 28.). Ecclesiæ quam efformaverat dux ipse fuit et moderator. In ea fovenda docenda, pascenda, regendaque totus erat, " spirans in

eam spiraculum vitæ" (Gen. 2. 7.), ut usque ad extrema terræ cresceret "in augmentum Dei." (Coloss. 2. 19.)

Ad Patrem autem reversurus sponsam suam relinquere noluit, sed invisibiliter usque in finem sæculi cum ea permanens, visibilem sibi vicarium elegit, et caput Ecclesiæ constituit Simonem Petrum, cui suæ erga eam charitatis universa munera demandavit.

Equidem Ecclesiæ, si civitatis imagine adumbratur, Petrus est fundamentum: "Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam;" (Matth. 16. 18) si cœli janua declaratur, Petrus est cœlestis Clavicularius: "Tibi dabo claves regni cœlorum;" (Ibid. 19.) si ovile appellatur, Petrus est supremus pastor: "Pasce agnos meos, pasce oves meas;" (Joan. 21. 15.) si demum, uti revera est, "columna et firmamentum veritatis nuncupatur," (I Tim. 3. 15.) Petrus est certum fidei munimen: "Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos". (Luc. 22. 32.)

Quoniam vero "Adversus Ecclesiam supra Petrum fundatam portæ inferi non prævalebunt" (Matth. 21. 18.) indefectibilis Ecclesiæ inconcussum fundamentum perpetuo manere necesse est. Petrus igitur in Ecclesia Christi semper vivit: Petrus in Sancta Sede Romana semper sedet: Petrus in singulis successoribus loquitur, "ut in omnem terram exeat vox ejus, et in fines orbis terræ verba ejus". (Psalm. 18. 5.)

Hanc supremi Pastoris vocem omnes noverunt oves ex ovili, quod est universa Ecclesia. Hanc ab apostolicis temporibus audierunt cuncti, tum orientalis, tum occidentalis plagæ doctores. Huic, a Nicæno ad Tridentinum, omnia plauserunt œcumenica concilia.

IMAGE EVALUATION
TEST TARGET (MT-3)

Hanc paternam ac dulcissimam universalis pastoris vocem novimus et nos, hujus provinciæ Quebecensis Episcopi. Os nostrum ad Beati Petri Cathedram patet; et, ut splendidum ei amoris et obedientiæ testimonium præstemus, ex toto corde et aperte profitemur cum sancto œcumenico Concilio Florentino: "Romanum Pon-" tificem in universum orbem tenere Primatum, et "ipsum Pontificem Romanum Successorum esse Beati "Petri, Apostolorum Principis, et verum Christi vica-" rium, et omnium Christianorum patrum ac doctorem "existere; et ipsi, in Beato Petro pascendi, regendi ac "gubernandi universalem Ecclesiam, a Domino Nostro "Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quem-" admodum etiam in gestis œcumenicorum Concilio-" rum et in Sacris Canonibus continetur."

Hoc igitur solemne Florentinæ Synodi decretum omnibus christifidelibus hujus provinciæ frequenter inculcatum volumus, ut sic edocti, sciant omnes summum Pontificem, legitimum Petri successorem, habere Primatum in universa Ecclesia, ita ut ab eo, tanquam e spiritalis auctoritatis fonte, omnia procedant, et ad eum tanquam ad centrum unitatis convergant; ipsius esse, si qua oriatur circa fidem aut mores controversia, doctrinas approbare, vel reprobare, confutare errores, tenenda determinare; proindeque ipsum proprio jure decreta facere circa fidem, mores et Ecclesiæ disciplinam, quibus omnes Christiani corde et animo parere teneantur.

Nos itaque his principiis adhærentes, et insuper agnoscentes cum sancto Iræneo, "Romanam Ecclesiam eam esse ad quam oportet omnes Ecclesias convenire propter potiorem ejus principalitatem" (S. Iræn. contra hæres. Lib. 3. c. 3.) et fidem Petri, "qui in propria

sede vivit, et præsidet, et præstat quærentibus veritatem," (S. Petrus Chrysol. Epist. ad Eutych.) nunquam defecisse, nec in finem defecturam esse ; volentesque in omnibus sequi hanc "Sedem Apostolicam, in qua est integra et vera Christianæ religionis perfecta soliditas. (Formul. Hormis. Oriental.) apostolicis constitutionibus specialem assensum nostrum, jam in prima Synodo hujus provinciæ datum, hic renovare duximus.

Palam igitur hic cum patribus primæ hujus provinciæ Synodi, profitemur quod toto animo adhæremus omnibus et singulis Apostolicis Constitutionibus dogmaticis, uti et illis quæ universalem Ecclesiæ disciplinam respiciunt; atque declaramus et docemus eas ab omnibus christi fidelibus tenendas esse velut credendorum normam et conscientiæ regulam independenter prorsus ab omni potestatis sæcularis sanctione.

Adhæremus peculiariter Apostolicis Constitutionibus quibus, a S. M. Pio VI ad Beatissimum Patrem Nostrum Pium IX, omnes pontifices damnaverunt errores recentiores, præsertim vero Litteris Apostolicis, datis die octava mensis decembris anni 1864, quibus Sanctitas Sua omnes et singulas pravas opiniones ac doctrinas in iisdem Litteris commemoratas reprobat, proscribit atque damnat; statuimusque ut dictæ Litteræ cum Syllabo ipsis adjuncto, " complectente præcipuos nostræ ætatis errores qui notantur in allocutionibus consistorialibus, in Encyclicis aliisque apostolicis litteris SSmi D. N. Pii Papæ IX " ad calcem præsentis synodi nostræ, ad instructionem pastorum et fidelium hujus provinciæ imprimantur.

Asserere igitur cum nonnullis hujus ævi scriptoribus Romani Pontificis Spiritualem Principatum quasi Principis extranei auctoritatem contemni vel renui posse,

aut ab humano jure originem duxisse schismaticum est atque hæreticum.

Et quoniam vehementer optamus nihil sanctæ Apostolicæ Sedi auferri ex eis quæ favere possunt exercitio illius potestatis quam a Christo Domino accepit, improbamus et toto animo repellimus eorum temerarios atque impios ausus qui summum Pontificem sua potestate temporali spoliare conantur. Itaque omnibus Episcopis orbis Catholici, omnibusque scriptoribus catholico nomine vere dignis assentientes, agnoscimus et palam asserimus istam potestatem temporalem, non tantum legitimam ac institutioni Christi et Evangelicæ doctrinæ admodum consentaneam, sed et necessariam esse Sedi Apostolicæ, quo liberior ac tutior potestatem apostolicam toto orbe terrarum exerceat, votisque omnibus precamur eum Sancta Ecclesia sacrum principatum omnibus modis salvum et incolumem esse : quod et ab omnipotente Deo cum fiducia speramus.

De cætero, sacerdotes et omnes fideles sollicitudini nostræ commissos sæpius monitos volumus ut omni quidem tempore, sed potissimum quando, sicut his malis temporibus, Ecclesia gravioribus quassatur tempestatibus, oculos convertant ad hanc Cathedram Petri, "qui est petra et crepido catholicæ Ecclesiæ et rectæ fidei fundamentum," (Conc. Chalced.) unde unitatis vigor per totum Ecclesiæ corpus diffunditur, salusque singulis filiis ejus præstatur.

Denique piissimo affectu oramus, atque eosdem sacerdotes ac fideles, filios nostros charissimos, obtestamur in Christo ut pariter sine intermissione et toto cordis affectu nobiscum orent pro Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa IX., ut eum Deus Spiritu Sancto suo in salutari gratia conservet, dirigat, ac defendat ; inclinet ad

preces humilitatis nostræ aures misericordiæ suæ, et in protectione ejusdem sanctissimi Pontificis, antiqua brachii sui operetur miracula; ita ut hostium audacia et impietate dextræ divinæ potentia prostratis, pacis tranquillitate cum Ecclesia sancta cujus pastor supremus est, fruatur, et in laudibus misericordiæ ejus incessabili exultatione lætetur. Amen.

Atque ut hoc novum reverentissimi amoris et obsequii nostri testimonium aliquid afferat levaminis et consolationis sanctissimo Pontifici Nostro Pio IX qui, immenso fidelium dolore, incessanter ab inimicis Christi et Ecclesiæ in ditione sua Romana impugnatur, præstare dignetur "Deus totius consolationis, et pater luminum a quo descendit omne datum optimum et omne donum perfectum." (Jacob. 1. 17.)

DECRETUM VI.

DE CULTU.

CAPUT PRIMUM.

De Cultu divino.

Ad confutandos innumerabilium sectatorum vigentium in hac provincia calumnias ac perfidiam, oportet ut fideles non solum quomodo Deum colere debeant apprime intelligant, sed insuper ut "parati sint semper ad satisfactionem omni poscenti eos rationem de ea, quæ in eis est, spe." (1. Petr. 3. 15.)

Noverint igitur alium esse cultum quo "Deus ac Mediator Dei et hominum Homo Christus Deus" (1. Tim. 2. 5.) colendus est, alium quo Beatam Virginem Deiparam et Sanctos veneramur et invocamus.

Soli Deo, utpote verum omnium Creatori supremoque Domino, cultum Latriæ præstari, tum lege ipsa naturæ, tum his verbis præcipitur: "Dominum tuum adorabis, et illi soli servies;" (Matth. 4. 10) sed hæc admonet Synodus omnes ecclesiarum rectores, ut omni studio ac diligentia populos sibi commissos doceant in quo consistat Dei cultus, et quomodo Deus colendus sit et adorandus, videlicet, teste Christo Domino, "in spiritu et veritate" (Joan. 4. 23.). "In spiritu" quidem adorant, qui mentis affectu Deum colunt; "in veritate" qui cultu exteriori et piis operibus mentis affectum testantur et exprimunt. Perfecta ergo adoratio est, cum, anima simul et corpore divino mancipamur obsequio.

CAPUT II.

De Invocatione et Veneratione Sanctorum.

Sacrosanctæ Synodi Tridentinæ decretis innixa, mandat hæc Synodus omnibus hujusce provinciæ Episcopis et cæteris docendi munus curamque obeuntibus, ut juxta Catholicæ et Apostolicæ Ecclesiæ usum, de sanctorum intercessione et invocatione fideles diligenter instruant, "docentes eos sanctos una cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo afferre; bonum atque utile esse suppliciter eos invocare; et ob beneficia impetranda a Deo, per Filium ejus, Jesum Christum Dominum Nostrum, qui solus noster Redemptor et Salvator est, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere; illos vero qui negant sanctos, æterna felicitate in cœlo fruentes, invocandos esse; aut qui asserunt, vel illos pro hominibus non orare, vel eorum ut pro nobis etiam singulis orent, invocationem esse idololatriam, vel pugnare cum verbo Dei, adversarique ho-

nori unius Mediatoris Dei et hominum Jesu Christi; vel stultum esse in cœlo regnantibus voce et mente supplicare, impie sentire." (Conc. Trid. Sess. XXV.)

Nec satis est ut sciat populus quidquid tenet Ecclesia de cultu sanctorum; curent præterea pastores animarum ut sancti sancte colantur: "omnis superstitio in eorum invocatione tollatur: omnis turpis quæstus eliminetur: sanctorum celebratione homines ad comessationes et ebrietates non abutantur: ut tandem nihil inordinatum nihilque inhonestum appareat, cum domum Dei deceat sanctitudo." (Conc. Trid. Sess. XXV.)

CAPUT III.

De Reliquiarum cultu.

Mandamus etiam omnibus animarum pastoribus ut de Reliquiarum honore et legitimo usu fideles diligenter instruant, docentes eos, juxta præscriptum a Sancta Synodo Tridentina, "Sanctorum Martyrum et aliorum "cum Christo viventium corpora, quæ viva fuerunt "membra Christi et templum Spiritus Sancti, ab ipso ad "æternam vitam suscitanda et glorificanda, a fidelibus "veneranda esse; per quæ multa beneficia a Deo homi- "nibus præstantur; ita ut affirmantes sanctorum reli- "quiis venerationem atque honorem non deberi; vel "eos, aliaque sacra monumenta a fidelibus inutiliter "honorari; atque eorum opis impetrandæ causa sancto- "rum memorias frustra frequentari; omnino damnan- "dos esse, prout jam pridem eos damnavit, et nunc "etiam damnat Ecclesia." (Conc. Trid. Sess. XXV. "c. 4.)

Sed, ut in istis abusus omnis excludatur, prohibet hæc nostra Synodus, juxta Canones, ne quis novas aut

ignotas reliquias publice venerandas offerat, nisi prius ab ordinario visæ et probatæ fuerint.

Has autem recognitas volumus in loco ad id decenter parato recondi et servari, e quo, cum venerationis causa educi par erit, id cum omni honore et reverentia fieri mandamus.

CAPUT IV.

De cultu Sanctarum Imaginum.

De iis quoque quæ a Sancta Matre Ecclesia tenentur de sacris imaginibus, bene instruantur fideles. Adhærentes igitur doctrinæ Sanctæ Tridentinæ Synodi doceant Parochi, "Imagines Christi, Deiparæ Virginis et aliorum Sanctorum in templis præsertim habendas et retinendas; eisque debitum honorem et venerationem impertiendam: quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa quæ illæ repræsentant: ita ut per imagines quas osculamur, et coram quibus caput operimus et procumbimus, Christum adoremus et sanctos quorum illæ similitudinem gerunt veneremur." (ibidem.)

Doceant insuper, cum eadem Sancta Tridentina Synodo, "populum fidelem, ex sacris imaginibus magnum fructum percipi; non solum quia admonetur beneficiorum et munerum quæ a Christo sibi collata sunt, sed etiam quia Dei per sanctos miracula et salutaria exempla oculis fidelium subjiciuntur; ut pro eis Deo gratias agant, ad sanctorumque imitationem vitam moresque suos componant, excitenturque ad adorandum et diligendum Deum, et ad pietatem colendam. (ibidem.)

Attendant ipsimet pastores sequentibus præscriptis quibus eadem sacrosancta Synodus concludit: "Si quis

"autem his decretis contraria docuerit, aut senserit, anathema sit. In has autem sanctas et salutares observationes si qui abusus irrepserint, eos prorsus sancta Synodu saboleri vehementer cupit; ita ut nullæ falsi dogmatis imagines pingantur vel ornentur. Hæc ut fidelius observentur, statuit Sancta Tridentina Synodus nemini licere ullo in loco, vel in Ecclesia, etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere, vel ponendam curare imaginem, nisi ab Episcopo probata fuerit." (Conc. Trid. Sess. XXV. c. 4.)

CAPUT V.

De Ecclesiarum decore.

Hæc Synodus omnes ad quos spectat, monet ac obtestatur, ut in Ecclesiis aliisque piis locis omnia sint munda, ordinata: nulla permittantur ibidem profana conventicula: coerceantur liberiores ministrorum inferiorum et aliorum habitus et gestus: modestia et reverentia ab omnibus serventur. Sic pateat quantum unusquisque nostrum "diligat decorem domus Dei et locum habitationis gloriæ ejus." (Psalm. 25. 8.)

CAPUT VI.

De Dominicis et Festis de præcepto.

Non sine magno animi dolore, diei Dominicæ sanctificationem a nonnullis, hisce temporibus, neglectam conspicimus. Ex hac enim tam sa[illegible] præcepti transgressione innumera prope profluunt mala. Hinc quippe divini cultus oblivio, irreverentia et impietas in Deum; hinc crassa divinorum dogmatum et præceptorum ignorantia, et deperditio fidei, quæ, "cum sit ex auditu,"

(Rom. 10. 17.) diu incolumis esse nequit in iis qui verbi divini prædicationi interesse negligunt ; hinc morum corruptela et scandala.

Summa igitur cura ac sollicitudine animarum pastores universos ac singulos sibi commissos moneant de gravi illius magni præcepti obligatione, ac per viscera misericordiæ Jesu Christi enixius obsecrent, atque obtestentur dominicum diem aliosque dies festos de præcepto, juxta Ecclesiæ præscripta sanctificent. Ad hanc autem dierum sacrorum sanctificationem tenentur fideles ab omni opere servili abstinere, atque sacrosancto Missæ sacrificio interesse.

Cum Missa parochialis specialiter pro parochianis celebretur, curent parochi et confessarii ut fideles intelligant quanti haberi ac quanto fructu frequentari debeat : atque, juxta præscriptum sancti Concilii Tridentini, moneant eos ut frequenter ad suas parochias, saltem diebus dominicis et majoribus festis accedant.

Attendant tamen animarum Rectores jam nunc non teneri fideles, vi præcepti Ecclesiæ, missam parochialem audire. Ad istud enim præceptum adimplendum, missæ cujuslibet extra oratorium privatum celebratæ auditionem omnino sufficere declaramus.

Denique fideles ad officia vespertina et ad pia opera exercenda sedulo hortentur.

DECRETUM VII.

De Sanctitate vitæ Clericorum.

Sacrosancta Tridentina Synodus mandat Episcopis ut moneant omnes Clericos, quocumque ordine fuerint, præsertim vero ad animarum curam constitutos, ut conversatione, sermone et scientia, commissos sibi Dei po-

pulo præeant, memores ejus quod scriptum est : "Sancti estote, quia et ego sanctus sum." (Levit, 19. 2.) Et juxta Apostoli vocem : "Nemini dent offensionem, ut non vituperetur ministerium eorum ; sed in omnibus exhibeant se sicut Dei ministros" (II Cor. 6. 3.) : ne illud prophetæ dictum impleatur in eis : "Sacerdotes Dei contaminant Sancta, et reprobant legem." (Sophron. 3. 4. Sess. XIV de Reform.)

Quapropter cum S. Carolo in suo Conc. prov. IV "omnes clericos hujus provinciæ, fratres et filios nostros "in Christo carissimos, obtestamur instantissime in "eodem Christo Domino Nostro, ut memores perpetuo "sint vocationis qua eos dignatus est Deus noster." (II Thess. 1. 4.)

Qua assidua recordatione memoriaque excitati, eam se virtutem induant, ut videant alii, quasi lumen aliquod, eorum virtutem elucere : quæ si magna in aliis vitæ Christianæ institutis requiritur, certe in illis, "qui mysteriorum Dei ministri divinæque gratiæ dispensatores sunt" (1 Cor. 4. 1.), major esse debet.

Et sicut sacro ordine a reliquis hominibus sejuncti sunt, ita a communis fidelium vitæ usu segregati, præcipuum quoddam, atque hoc præstantius, vivendi genus sequi debent, quo ordinis dignitate præcellunt.

Cœlestem in terris vitam, tanquam angeli Dei, moribus suis exprimere adeo studeant, ut ab illis divinarum virtutum exempla ad cæteros emanent.

Una animi consensione, unoque spiritu in eis elaborent, ut et divino cultui, et cœlestium rerum meditationibus, et orationi, et sacrarum ecclesiasticarumque litterarum studiis vacent ; tum depositis sæcularibus vanisque sollicitudinibus, ab omni vitio alieni, in via Domini recte ambulent.

Charitatem in primis, quæ seminarium est omnium virtutum, omni studio amplectantur.

Humilitatem, mansuetudinem, patientiam, justitiam, sobrietatem et castitatem, officiaque Christianæ pietatis reliqua sedulo colant. " Quæcumque denique sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque sancta et religiosa, ea cogitent, eaque agant." (Philipp. 4. 8.)

Virtutes sanctorum Patrum, quas præcipuas et quasi hæreditarias nobis ad imitationem reliquerunt, non adumbrare solum, sed omnino exprimere certatim contendant.

Quæcumque demum de muneris sui partibus, de vitæ modo, vel Pontificum sanctionibus, vel œcumenicis conciliis, et præsertim Tridentino, vel provincialibus diœcesanisque Synodis, vel Episcoporum edictis, vel alia ratione sancita præscriptaque sunt, ea servent ac præstent diligenter.

Ipsum autem Deum, et Patrem nostrum, et Dominum Jesum Christum, sine quo nihil possumus, instantissime deprecamur ut ipse dirigat vias eorum in omni sancta obedientia; exhortetur corda ipsorum et confirmet in omni opere et sermone bono, ita ut digne ambulent vocatione qua vocati sunt, per omnia ei placentes; sicque sanctis virtutum progressionibus probati, appareant ante Deum et patrem nostrum, in adventu Domini Nostri Jesu Christi cum omnibus sanctis ejus. Amen.

DECRETUM VIII.

De Libris Ephemeridibusque improbis.

Inter scandala hujus sæculi perversi nullum sane magis pertimescendum, magisque execrandum est quam scandalum ex impiis et obscenis libris procreatum.

Hæc est pestis omnium maxime dira et lethalis, quæ non unam tantum regionem et ætatem inficit, sed ad universa loca et tempora diffunditur, omniaque innumeris implet stragibus. Quis autem edicere potest horrenda mala quæ religioni et moribus ex scandalo librorum, libellorum, diariorumque foliorum (*les journaux*) improborum, velut ex venenato fonte, exorta fuerunt, quotidieque ad huc infeliciter exoriuntur.

Hinc profecto Nobis, quibus depositum fidei et custodia morum demandata sunt, intelligere datur quanta sollicitudine, quantoque studio laborare debemus ad præmuniendos fideles nobis commissos, contra tantum scandalum, tamque eminens periculum eorum salutis.

Itaque omnes parochos, concionatores, confessarios, aliosque Dei ministros admonemus in Domino ut totis viribus huic horrendo torrenti iniquitatis sese opponant, quatenus eo modo, pereuntes animas, quantum in ipsis est, e faucibus inferni eruant eripiantque.

Ad hoc autem 1° firmiter teneant, constanterque prædicent, veritatem esse a dogmatis fonte profectam, quod Ecclesia, et principaliter Summus Pontifex, utpote Christi vicarius et divi Petri successor, jurisdictionem ab ipso Domino acceperit prohibendi fidelibus lectionem librorum sive de Religione impie tractantium, sive contra bonos mores, sive contra Ecclesiæ disciplinam, aut contra bonum societatis humanæ aliquid continentium. Ut enim his utamur verbis Pontificis Maximi Gregorii XVI, in sua Encycl. *Mirari vos*, " patet luculentissime " quantopere falsa, temeraria atque Apostolicæ Sedi inju- " riosa, ac fœcunda malorum in Christiano populo ingen- " tium sit illorum doctrina, qui, nedum censuram libro- " rum veluti gravem nimis et onerosam rejiciunt, sed eo " etiam improbitatis progrediuntur, ut eam prædicent a

" recti juris principiis abhorrere, quoque illius decer-
" nendæ habendæque audeant Ecclesiæ denegare."

2° Sedulo edoceant fideles sibi commissos, legem Indicis prohibentem lectionem quorumdam librorum, utpote legem generalem ab Ecclesia vel ab ipso Summo Pontifice latam, obligare omnes ubique Christianos, et quidem per se et sub gravi ; nam de re gravi agitur ;

3° Omnes ejusdem Indicis regulas, tum jussu Tridentini editas, tum a S. Congregatione Indicis statutas et a S. Pontificibus approbatas, ab omnibus Christifidelibus servandas esse ; quod quidem confirmatur testimonio ejusdem S. Congregationis Indicis, ac proinde S. Pontificis ipsius, scilicet : " cæterum servari Regulas Indicis ;" (ita S. Cong. Ind. 13 Junii 1757 ; item 7 Jan. 1836) quodque et nos volumus et statuimus pro hac provincia Ecclesiastica nostra.

4° Eos qui libros iisdem regulis prohibitos, vel in Indice prohibitorum librorum appositos legunt, non modo peccare contra legem ecclesiasticam, sed quandoque etiam contra legem naturalem ;

5° Non licere hujusmodi libros typis committere, indiscriminatim vendere, dare, aut commodare, et nedum legere, nec quidem eos emere sibi, nec oblatos accipere, nec retinere sine peculiari venia ;

6° Inter libros prohibitos recensendos esse omnes Bibliorum versiones ab Hæreticis factas, aut editas, necnon et versiones vulgari lingua a Catholicis auctoribus datas, nisi eæ fuerint ab Apostolica Sede approbatæ aut editæ cum approbatione Ordinarii, et cum adnotationibus ex sanctis Ecclesiæ Patribus, vel e doctis catholicisque viris.

Hæc quidem pastores animarum oves suas edoceant de libris perversis et prohibitis, seduloque invigilent ne

ullo modo circumferantur in parœciis suis, atque si quos invenerint, curent ut, juxta Pii IV Constitutionem *Domini Gregis*, quamprimum ad Episcopum referantur.

Si quos autem repererint homines in hac materia rebelles, qui suis admonitionibus exhortationibusque parere recusent, pertinaciterque velint præfatos libros legere aut retinere sine licentia, vel nonobstante periculo propriæ vel suorum perversionis, eos tanquam prorsus indignos sacræ communionis habeant, ipsisque absolutionem denegent.

De cætero, ne fideles decipiantur circa libros quos habere aut legere possunt, diligenter admoneantur ut pastores aut confessarios suos consulant, eorumque mandatis obsequantur in iis quæ dictos libros respiciunt.

Confessarii autem intelligant opus esse magna prudentia in re tam gravi tamque periculosa, et Episcopi directionem sedulo inquirant.

Meminerint quod ad Episcopos spectat prohibere lectionem pravorum librorum, et quidem sub pœna censuræ subeundæ: nec quisquam dubitet de hac potestate Episcoporum, quam ipsis in memoriam revocavit Leo XII, die 26 Martii 1825, et recentius confirmavit Pius IX, die 24 Augusti 1864.

Quo vero ad Ephemerides improbas, (*les mauvais journaux*), deploranda experientia omnibus constat quod non minora mala ex ipsis quam ex reprobis libris, afferuntur religioni, Ecclesiæ, moribus et humanæ societati: imo majora, si quidem facilius latiusque ubique circumferuntur, et veluti horrenda tremendaque pestilentia orbem universum quotidie percurrunt. Nec minori ergo zelo pastores animarum sese opponant horribili huic scandalo perversarum ephemeridum, nec mi-

nori cura satagant ut oves suas arceant a venenatis illis foliis, invigilentque ne quædam ex illis recipiantur ac legantur in paræciis suis.

Perversas autem existiment pastores et confessarii ephemerides illas in quibus, si earum generalem speciem vultumque, id est, animum quo scribuntur, spectes, invenies oppugnari Ecclesiæ auctoritatem, magisterium, jura, doctrinas in quocumque rerum ordine, instituta, institutiones, disciplinam, morumve usus ab ea approbatos ; vel clarum in eis frequenter conviciis, calumniisque opprimi, aut e contrario ibi prædicari, defendi aut insidiose in mentes induci qualemcumque errorem sui propositiones quæ, præsertim in Syllabo Encyclicis litteris "*Quanta cura*," adnexo, damnatæ inveniuntur.

Quod autem attinet ad rationem agendi cum illis qui perversas Ephemerides recipere ac legere intendunt, ea servetur quam supra statuimus servandam erga eos qui prohibitos libros legere aut retinere obstinant.

Procul dubio inter reprobos reprobandosque libros adnumerari plerumque debent libri quos vocant *Romanenses*, (*les romans*).

Porro inter romanenses alii sunt impii, alii obsceni, alii vero tantum amatorii.

Quoad primos, id est, impios et obscenos, profecto de utroque jure naturali et ecclesiastico prohibiti sunt ; proindeque cum illis qui hujusmodi libros non sine magno animæ suæ detrimento legunt assidue, aut retinent, agendum est modo superius præscripto erga eos qui libros Indice prohibitos scienter et pertinaciter legunt aut retinent.

Ultimi vero amatorii romanenses grave damnum quandoque legentibus, maxime juvenibus, offerunt, in ipsis enim ut plurimum latet quoddam venenum quod,

quanto minus patet, tanto magis nocet. Omnes igitur animarum pastores omni ope atque opera excitantur ut oves suas, præsertim autem juvenes, avertant a lectione istorum librorum vere venenatorum.

Moneant quoque parentes de gravi qua ligantur obligatione in filios, ut nullomodo illis permittant legere aut retinere libros quibus fidei moribusve pericula afferentur. Quod si non possunt ipsi de natura aut qualitate librorum judicare, pastores aut saltem viros prudentes religiososque consulant.

Ut autem pastores facilius simulque efficacius arceant oves suas tum a libris reprobis atque prohibitis, tum a perversis ephemeridibus, satagant ut bonos libros ipsis suppeditent, nec omittant eos quibus Ephemerides legere in desiderio est, inducere ad subscribendum alicui ephemeridi sanis principiis deditæ vereque catholicæ.

Quapropter unusquisque animarum pastor totis viribus conniti debet ut habeat in sua parœcia bibliothecam bonorum librorum ad usum parochianorum suorum, atque ad hoc eos omnes instantissime hortamur in Domino.

DECRETUM IX.

De Electionibus politicis et administrativis.

Experientia deploranda nimis omnibus compertum est quod electiones legatorum, tum ad Senatum legiferum, tum etiam ad concilia municipalia, (*les députés de la chambre législative et les conseillers municipaux*) factæ sunt, populo nostro, si non quidem causa, at certe valde reformidanda occasio corruptelarum, flagitiorum atque peccatorum innumerabilium, et ex omni genere : mendaciorum, detractionum, simultatum, ebrietatum, rixarum, blasphemiarum, perjuriorum, etc.

Jam quidem res eo devenerunt ut sæpe sæpius, tempore hujusmodi electionum, electores eorumque asseclæ, quasi spiritui vertiginis et erroris traditi videantur. Heu ! in illis diebus iniquitatis, quam multi non reformidant aures claudere voci conscientiæ suæ, et oblivioni dare omnem timorem Dei, ac Deum ipsum, quasi omnia tum ipsis licerent, aut " Deus non eos videret " aut " nec recordaretur, nec judicaret." (Psalm. 10).

Clament ergo adversus tantum omnium religionis morumque principiorum perturbationem, tamque flagitiosam et exitiosam pravitatem sacerdotes, ministri Domini ; vocem elevent animarum pastores, " et annuntient populo suo peccata eorum, et filiis Ecclesiæ scelera eorum," (Isaiæ. 58. 1) nec cessent, nec timeant clamores impiorum perversorumque hominum.

Præterea nihil omittant iidem pastores ut fideles sibi commissos præmuniant contra seductiones scandala et omnia pericula horum dierum malorum ; ipsisque longe ante, maxime vero tempore ipso illarum electionum, sedulo in memoriam revocent quod Deus dominantium Dominator, et electionum Dominus est ; et quod ipse est qui aliquando et dictos electores et candidatos et electos judicabit, atque " unicuique reddet juxta opera sua," (Rom. 2. 6.) nec magis parcet eis qui intra quam illis qui extra tumultum electionum peccaverit.

Edoceant eos diligenter officia sua quoad præfatas electiones ; ipsis inculcando fortiter quod eadem lex quæ civibus tribuit jus suffragii, iisdem gravem imponit obligationem ferendi suffragium suum quando oportet, atque hoc semper juxta conscientiam suam, coram Deo, pro majori bono tum religionis, tum reipublicæ patriæque suæ ; proindeque, quod semper coram Deo ex conscientia tenentur suffragium suum dare illi candidato quem

prudenter judicant vere probum et idoneum ad implendum illud magni momenti munus sibi demandatum, invigilandi scilicet bono religionis et reipublicæ, atque adlaborandi fideliter ad illud promovendum ac servandum. Unde evidenter sequitur eos omnes peccare, et quidem non tantum coram hominibus, sed et coram Deo, qui vel suffragium suum vendunt, vel quacumque ex causa, dant candidato sibi cognito prout indigno, vel denique alios inducunt ad idem faciendum.

Hæc fideliter doceant populum suum pastores, tanquam fideles ministri Christi ; in his insistant, sistantque, in omni charitate et patientia ; nec ultra procedant in circumstantiis consuetis. Et si quæ particulares aut extraordinariæ occurrant circumstantiæ, maxime caveant ne quidquam moliantur inconsulto Episcopo.

DECRETUM X.

De Usura.

Cum magno animi dolore perspicimus quantos et quam deplorandos progressus effecerit usura in hac provincia, ex quo lex, quæ *auctarium* seu interesse ex mutuo determinabat absoluto modo in hac provincia adjectis pœnis contra usurarios, revocata est. Jam enim res eo devenit, ut non pauci pecuniarum commodatores nullum sibi alium modum in exigendo *interesse* ex mutuo imponant ; nisi quem ipsis, aut sua insatiabilis cupiditas, aut mutuatoriorum gravis necessitas suggerit. Hinc valde timendum est, ne brevi tempore, illa pestis usuræ totam societatem nostram invadat, ad magnam ipsius calamitatem, ad plurimorum ruinam totalem, atque ad ipsorum pecuniarum commodatorum æternam damnationem, nisi eidem efficax promptumque remedium adhibeatur.

Quapropter omnes hujus provinciæ parochos, missionarios, aliosque animarum rectores obtestamur in Domino, ut contra tantum nefas strenue dimicent.

Doceant igitur magnopere et valde periculose errare eos qui putant, quod licet exigere tantum *interesse* ex mutuo, quantum obtineri potest a mutuatario *coarctato*, seu quacumque necessitate presso.

Sequentem vero regulam practicam statuimus tenendam in hac provincia, donec aliter a Sancta Sede decernatur.

1° Quando partes convenerunt de interesse solvendo, nec quantitatem determinarunt, non sunt inquietandi si legi civili steterint.

2° In contractibus qui determinant interesse solvendum ultra taxam civilem, illud pro usurario habendum est quod excedit, vel titulum specialissimum quem habet mutuans, vel communem existimationem præsentis valoris pecuniæ in loco ubi contrahitur, prout ex proborum et prudentium virorum judicio dignosci potest.

Quisquis ergo suæ conscientiæ consulere velit, inquirat prius diligenter quousque sese extendat titulus quem habet, vel communis æstimatio, et quod quærit lucrum ex mutuo omnis labis expers et immune reddatur, et ipse propter vilem pecuniam sibi æternam ruinam non acquirat.

DECRETUM XI.

De Societatibus secretis.

Decreto XIV primæ hujus Provinciæ Synodi, vetitæ sunt juxta mentem Summorum Pontificum Societates secretæ. Valde autem dolendum est quod multi pseudo catholici diversis sub prætextibus tales Societates ineant.

Tali tantoque malo volentes providere quantum in nobis est, declaramus prohibitas omnes societates in quibus permittitur secretum sive cum juramento, sive non, pravamque finem habentes, id est, aut Ecclesiæ, aut Gubernio, aut Societati adversantes, pariterque omnes in quibus temerarie adhibetur promissio vel jusjurandum exsequendi quidquid a ducibus talium societatum jubebitur. Hortamur ergo omnes fideles nobis commissos, ad tales societates omnino vitandas et abhorrendas, tanquam valde periculosas bono communi atque paci publicæ ac contrarias ecclesiasticæ auctoritati et conscientiæ legibus.

DECRETUM XII.

De Divortio.

" Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum
" primus humani generis parens divini spiritus instinctu
" pronuntiavit, cum dixit : Hoc nunc os ex ossibus meis,
" et caro de carne mea : quamobrem relinquet homo pa-
" trem suum et matrem, et adhærebit uxori suæ et erunt
" duo in carne una." (Trid. XXIV.)

Hinc omnino abhorrendum est ab illa divortii proprie dicti, seu a vinculo, doctrina, vi cujus *quod Deus conjunxit homines separare præsumunt.* Juxta enim hanc damnatam doctrinam " Matrimonii Sacramenti myste-
" rio, dignitate, sanctitate omnino despecta, ejusque insti-
" tutione et natura prorsus ignorata et eversa, atque Ec-
" clesiæ in sacramentum idem potestate penitus spreta,
" juxta damnatos hæreticorum errores, atque adversus
" Catholicæ Ecclesiæ doctrinam, matrimonium tanquam
" civilis tantum contractus habetur et in variis casibus
" divortium proprie dictum sancitur, omnesque matrimo-
" niales causæ ad laica deferuntur tribunalia ut ab illis

" judicentur; cum nemo ex catholicis ignoret aut ignorare " possit matrimonium esse vere et proprie unum ex sep- " tem Evangelicæ legis Sacramentis a Christo Domino " institutum, ac propterea inter fideles matrimonium dari " non posse, quin uno eodemque tempore sit sacramen- " tum ; atque ideirco quamlibet aliam inter Christianos " viri ac mulieris, præter Sacramentum, conjunctionem " cujuscumque etiam civilis legis vi factam nihil aliud " esse nisi turpem atque exitialem concubinatum ab Ec- " clesia tantopere damnatum, ac proinde a conjugali fœ- " dere sacramentum separari nunquam posse, et omnino " spectare ad Ecclesiæ potestatem ea omnia decernere, " quæ ad idem matrimonium quovis modo possunt perti- " nere." (Pius IX in allocutione diei 27 Septembris 1852.)

Meminerint igitur omnes, inter errores damnatos sequentem propositionem in Syllabo adjecto Encyclicis Litteris "*Quanta cura*" recenseri : "Jure naturæ ma- " trimonii vinculum non est indissolubile et in variis " casibus divortium proprie dictum auctoritate civili " sanciri potest."

Non sine magno animi dolore, seu potius horrore, didicerunt Patres hujus provincialis Synodi, quosdam hujusce regionis legislatores nuperrime proposuisse ut constitueretur *curia divortii*, cujus munus esset divortium a vinculo pronuntiare propter causam adulterii. Præterquam enim quod talis lex, quam Deus avertat ! Dei omnipotentis et sapientissimi institutionis foret subversio et Ecclesiæ Christi jurium usurpatio, nemo ignorat aut ignorare potest quot et quanta mala ex tali divortio dimanent, quæ illud societati civili infensissimum reddunt. Sub spe enim divortii futuri matrimonia imprudenter contrahuntur ; jurgia, et quod, horret dicere,

ipsa adulteria provocantur; vinculum caritatis inter familias irreconciliabili odio locum cedit; fortunæ in discrimen ponuntur; tota societas scandalizatur. Quid tandem de miserrimis filiis fiet, quorum parentes divortium obtinuerunt!

Nos vero, quos Deus speculatores posuit in hac parte Ecclesiæ suæ, diœcesanos nostros semper meminisse volumus nullum posse, salva conscientia, 1° pro tali lege suffragium ferre; 2° in tali curia divortii actoris partes agere, vel judicis, vel notarii seu cancellarii formaliter, vel alio quocumque modo concurrere; tamen intendimus damnare eos qui coacti testimonium ferrent de ipso facto adulterii.

Vix revocandum est in omnium memoriam nulli licere ad alias nuptias involare quamdiu vivit altera pars a qua separatus auctoritate; seu potius usurpatione curiæ divortii. Scriptum est enim: " Mulier vivente viro " alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir ejus, " soluta est a lege viri. Igitur vivente viro, vocabitur " adultera, si fuerit cum alio viro." (Rom. VII. 2.) Idem dicendum de viro, propter indissolubilitatem contractus; si enim mulier vocetur adultera in hoc casu, evidenter sequitur eam adhuc esse *uxorem* et virum esse *maritum*.

DECRETUM XIII.

Circa Codicem Civilem.

Cum in Codice Civili Canadæ inferioris quidam articuli non satis congruere videantur doctrinæ et disciplinæ Ecclesiæ de Matrimonio, statuimus petitionem præsentandam esse Gubernio ab Episcopis ejusdem Provinciæ, ut corrigantur iidem articuli.

DECRETUM XIV.

De Divisione Provinciæ Ecclesiasticæ Quebecensis.

Quum hæc provincia Ecclesiastica vere immensa sit, sese extendens in longitudine, ab Oceano Atlantico ad montes nuncupatos Saxosos (*Les Montagnes Rocheuses*), id est, spatio quatuor millium milliariorum ab oriente ad occidentem ;

Quumque hæc eadem provincia naturaliter dividatur in tres partes, distinctas per nationes genere diversas quæ illas inhabitant : primam videlicet, in qua prævalet gens origine gallica et gallice loquens : secundam, quam obtinet populus ex Insulis Britannicis oriondus, atque proinde anglice loquens ; tertiam tandem, quam aborigenes adhuc possident ;

Denique quum præterea præfata provincia in immensa amplitudine sua jam contineat, præter unum Vicariatum Apostolicum latissimun, undecim Diœceses, hinc nobis visum est valde expedire bono religionis atque animarum saluti ut ipsa pariter dividatur ecclesiastice :

Itaque statuimus supplicandum Sanctissimo Patri Nostro pro divisione ejusdem in tres provincias Ecclesiasticas : quorum prima, nomen provinciæ Quebecensis retinens, complectatur, cum archidiœcesi Quebecensi, diœceses Marianopolitanam, Ottawiensem, Trifluvianam, Sancti Hyacinthi et Sti. Germani de Rimouski ; secunda habens pro metropoli ecclesiam Torontinam, comprehendat diœceses Kingstoniensem, Torontinam, Hamiltonensem atque Sandovicensem ; tertia vero efformetur ex diœcesi Sti. Bonifacii ut metropoli, et ex diœcesibus quas Sanctissimo Pontifici placebit erigere in illis vastissimis regionibus, quarum prima esse poterit ea quæ

jam postulata est a Rmo Episcopo Sancti Bonifacii, quam postulationem votis nostris suffulcimus, sub titulo *Sti. Alberti*, in districtu *Saskatchawan* cum præmemorato Vicariatu Apostolico.

DECRETUM XV.

De Invocatione et Veneratione B. M. V. Immaculatæ.

Patres hujusce Concilii, animo recolentes, cultum Beatissimæ Virginis Mariæ, Sanctæ Matris Ecclesiæ semper carissimum fuisse, hortantur et obsecrant omnes hujus provinciæ fideles, maxime vero sacerdotes, ut nunquam obliviscantur, quinimo vehementissime studeant, Matrem Dei, Virginem immaculate conceptam, omni quo possunt modo, venerari.

Quapropter præpotenti Ipsius protectioni, Ipsiusque validissimæ intercessioni, innixis precibus, commendent Sanctam Matrem Ecclesiam, Summum Pontificem, omnes animarum rectores, sacerdotes, ordines religiosos et omnes Christi fideles ; hoc imprimis principio freti, orationem eo magis acceptam esse Deo, omnis sanctitatis plenitudini, ex qua puriori corde illa emanaverit ; Beatissimam vero Virginem utpote ab omni labe prorsus immunem, certo certius dignissimam esse, per quam preces nostras, adeo imperfectas, Omnipotenti offeramus.

Rati insuper, Sanctos maxime imitatione, earum quibus præcelluerunt virtutum venerari, insinuant Patres, omnibus sacerdotibus suæ ditionis, ut Beatissimæ Virgini frequenter coram cruce Domini Nostri Jesu Christi adsistant ; in omnibus, præsertim vero hodiernis Ecclesiæ et Sacerdotii gravissimis difficultatibus, animo pensantes, quantum sacrificium Mater Dei, ibi, commoriendo

cum Christo, Deo Patri obtulerit ; quot anxietates, quantas humiliationes perpessa sit ; ut, hisce considerationibus moti, animi sacerdotum amore sacrificii exardescant ; qui, quemadmodum Beatissima Virgo cruci Domini adstitit, et ipsi adstare parati sint sanctæ ecclesiæ quæ ex Christi latere prodiit, estque velut continuata Ipsius incarnatio ; pariterque in firmissimam erigantur fiduciam, semper memores Christi Matrem, inde a desolatione Crucis, ad gaudia resurrectionis Dominicæ et ad thronum gloriæ fuisse evectam.

Sursum levantes igitur corda ad hoc splendidissimum gloriæ solium totis præcordiis clamamus :

O Mater Vitæ, ad te confugimus fidentes ut tua sint et per te convertantur in divini amoris sagittas acta hujusce nostri concilii. Tu Veniæ vena omnibus nobis misericordiæ sinum exhibe, ut de plenitudine ejus accipiamus nos et oves pascuæ nostræ et tuæ. Tuam hanc demum totam Provinciam, quæ tanquam matrem benignissimam et firmissimum præsidium te conclamat sub tutela cordis tui immaculati et amantissimi custodito, ut acceptissimis tuis precibus ad Deum et Dominum omnium perficiatur in ipsa propitiatio et benedictio.

DECRETUM XVI.

De Decimis.

Cum in multorum animos irrepserit error decimas et alia debita quæ Ecclesiæ aut iis solvuntur ministris quibus ea attribuit Ecclesia ad se sustentandos et ad obeunda munia ergo fideles quorum ipsis spiritualis demandata est cura, vi legis civilis solummodo solvi, ac obligationem ea solvendi nullo ex alio fonte oriri ; ut istius modi error omnino corrigatur ac penitus amovea-

tur, opportunum declarare et statuere decernimus, sicut et per præsens decretum declaramus ac statuimus, hanc obligationem specialiter derivari ac oriri ex ea lege aut iis legibus quas condidit aut condere potest et poterit Ecclesia, independenter a civili et etiam absente civili lege : et ad cujusvis diœcesis Episcopum pertinere legem aut leges circa hanc materiam fidelibus imponere, prouti necessitas, attentis locorum et personarum adjunctis, postulaverit.

Hinc si alicujus loci fidelibus, sive in isto loco vigeat aut non, lex civilis de decimis statuens, Episcopo justum videatur ac opportunum mandare ac præcipere ut quam juxta adhibita justa moderatione definierit taxam, quisque sustineat ac solvat erga sacerdotem, cui sub quovis titulo incumbit onus ipsis religionis ac salutis ministerium præstandi, haud dubium esse potest, quin quisque hujus loci fidelis hanc taxam ex justitia et in conscientia solvere teneatur ; ac renuens debitis pœnis juxta casuum diversitatem mulctandus.

Quod de obligatione fidelibus incumbente pastoribus providendi, idem tenendum de templorum aut ecclesiarum ædificatione et reparatione, in quantum respicit fidelium conscientiam.

DECRETUM XVII.

De publicatione Decretorum hujus Synodi Provincialis.

Omnia et singula quæ a nobis in hac quarta provinciali Synodo decreta actaque sunt, qua debemus obedientia ac reverentia, auctoritati ac judicio sanctæ Romanæ Ecclesiæ, omnium Ecclesiarum matris ac magistræ, revisenda et recognoscenda subjicimus.

Quapropter istius synodi decreta nemo prelo subjiciat

aut promulget, antequam a Sancta Sede Apostolica, juxta Constitutionem Sixti V, quæ incipit : *Immensa*, revisa et recognita fuerint. Litteris autem quibus illa firmentur a Sanctitate Sua obtentis, ea statim imprimantur ; impressaque, a singulis Episcopis hujus provinciæ, vel in synodo diœcesana, vel, si celebrari nequeat, extra synodum, quamprimum promulgentur.

DECRETUM XVIII.

De indictione futuri Concilii provincialis.

Cum sacrosanctæ Tridentinæ Synodi decretis statutum sit, ut quolibet saltem triennio celebrentur Concilia provincialia, ut Ecclesiæ menti obsequamur, Nos, Carolus-Franciscus Baillargeon, Archiepiscopus Quebecensis, de consilio et consensu Reverendissimorum Episcoporum comprovincialium, proximum Concilium hujus Provinciæ anno millesimo octingentesimo septuagesimo primo celebrandum jam denuntiamus et indicimus omnibus qui præsentes adesse debent.

DECRETUM XIX.

De fine Concilii.

Cum placuerit omnibus Patribus hujus Concilii, finem fieri, Nos, Carolus-Franciscus Baillargeon, Archiepiscopus Quebecensis, Provinciali Concilio finem facimus, et jam nunc factam esse decernimus.

DECRETUM XX.

De Subscriptione.

Nos, Carolus-Franciscus Baillargeon, Archiepiscopus Quebecensis, admonemus Reverendissimos Patres

omnes, qui huic synodo jure intersunt et interfuerunt, ut post nos, singuli, loco et ordine suo, ad altare accedant, et iis quæ in hac synodo decreta sunt subscribant.

Nos, Carolus-Franciscus Baillargeon, Archieppus Quebecensis hæc decreta a Nobis definita subscripsimus.

✠ C.-F., Archieppus Quebecensis.

✠ Ego Ignatius, Episcopus Marianopolitanensis definiens subscripsi.

✠ Ego Jos.-Eugenius, Epus. Ottawiensis definiens subscripsi.

✠ Ego Vitalis-J., Epus Satalensis Illmi ac Rmi D. Alexandri, Epi Sti. Bonifacii ad id Procurator specialis ejus et ecclesiæ suæ nomine definiens subscripsi.

✠ Ego L.-F., Laflèche, Illmi ac Rmi D. D. Thomæ, Epi. Trifluvianensis, ad id Procurator specialis ejus et ecclesiæ suæ nomine, definiens subscripsi.

✠ Ego Joannes, Epus. Hamiltonensis definiens subscripsi.

✠ Ego E.-J., Epus Kingstoniensis definiens subscripsi.

✠ Ego Joannes-Joseph, Epus Toront. definiens subscripsi.

✠ Ego Carolus, Epus Sti. Hyacinthi definiens subscripsi.

✠ Ego Joannes, Epus Sti. Germani *de Rimouski* definiens subscripsis.

✠ Ego Joannes, Episcopus Sandovicensis definiens subscripsi.

EPISTOLA PATRUM CONCILII ROMAM UNA CUM DECRETIS EJUSDEM CONCILII POST EJUS CELEBRATIONEM AD SUMMUM PONTIFICEM MISSA.

Sanctissime Pater.

Nos, Episcopi Provinciæ Ecclesiasticæ Quebecensis, sacrosanctæ Synodi Tridentinæ præscriptionibus obtemperantes, Provinciale Concilium quarta vice celebratum absolvimus, et in hac materia dictam obligationem adimplentes, deferimus ad Sanctitatem Vestram acta cœtus nostri ut Apostolicæ Sedis examini subjiciantur.

Lætitia haud parva afficimur, quod per præsentes Litteras testimonium dare nobis licet fidei nostræ in auctoritatem Sanctitatis Vestræ quæ Petri vices gerit, et cujus est officium Christi agnos et oves pascere, et regere ac in fide confirmare.

Quam bonum et jucundum nobis est quod ad tam mirabilem et gloriosam Sanctissimæ Ecclesiæ unitatem pertineamus, cujus omnia membra veritatis vita vivunt, quæ per totum corpus infunditur per ejusdem Ecclesiæ caput, hoc est, Petrum seu Papam, ipsummet a Spiritu Sancto qui omnem docet veritatem, vivificatum et animatum.

Sanctitatem Vestram per præsentes litteras adeuntes, in mente habemus cum filiali compassione, dolores omnes quos patitur et amaras sollicitudines quæ ipsius animam exagitant, dum injuriosos ac furentes impetus conspicit, quibus Potestates quædam terrestres Ecclesiam oppugnant, sicut etiam, alia in parte, multiplices sanæ fidei repugnantes doctrinas ab his qui ex patre diabolo sunt, quocumque diffusas.

Attamen Domini Nostri Jesu Christi verbi memores : " Confidite, ego vici mundum." firmiter credimus portas

inferi nunquam prævalituras adversus Ecclesiam supra petram quam posuit Christus ædificatam, et multum confidimus Vestram, Sanctissime Pater, et nostram filiorum vestrorum devotissimam tristitiam, modo in gaudium esse convertendam.

Fiducialiter expectamus proxime eventuram de suis hostibus Ecclesiæ victoriam. Innititur hæc spes nostra dogmatica definitione Conceptionis Immaculatæ Beatæ Virginis, quæ quantopere hoc sibi præstito lætum, se patefecit, novo opere quod denuo potestatem sibi datam conterendi caput serpentis, et cunctos interimendi errores universo orbi revelabit.

Ardentissimis votis cœlum deprecamur ut Sanctitatis Vestræ, quæ tam sibi carum Beatæ Virgini decus attulit, quæ tam multos Beatos cœlorum incolas in terris glorificandos decrevit, quæ per tantas tribulationes probata est, quæ tam sollicitum et strenuum in omnimodis Catholicam veritatem oppugnantibus anathematizandis erroribus, mundo mirante, zelum ostendit, et quæ mediis in persecutionibus et adversitatibus Ecclesiæ inconcussam spem in se servavit, et in Christi fidelibus corroboravit, adhuc in terra degens, lætetur videns initia hujus Ecclesiæ triumphi, quem per omnia præclari sui Pontificatus opera præparavit.

Ad Sanctitatis Vestræ pedes humiliter provoluti, Apostolicam Benedictionem nobis, ovibusque nostris, desiderantissime imploramus.

Sanctitatis Vestræ,

Devotissimi et observantissimi filii,

✠ C.-F., Archiepiscopus Quebecensis.
✠ Ign., Epus Marianopolitanensis.

✠ JOS.-EUGENIUS, Epus Ottawiensis.

✠ JOANNES-JOSEPH, Epus Torontinus.

✠ VITALIS-J., Epus Satalensis, procurator Illustrissimi Alexandri Episcopi Sti. Bonifacii.

✠ L.-F., Epus Anthedonensis, Procurator Illsimi ac Revsimi Episcopi Trifluvianensis.

✠ JOANNES, Epus Sti Germani *de Rimouski*.

✠ JOANNES, Epus Sandovicensis.

✠ C., Epus Sti Hyacinthi.

✠ JOANNES, Epus Hamiltonensis.

✠ E.-J., Epus Kingstoniensis.

Quebeci, die 12 Maii 1868.

DECRETUM S. CONGNIS DE PROPAGANDA FIDE.

Pro Decretorum approbatione.

Cum mense Maio elapsi anni 1868 ab Episcopis Canadensibus quarta Provincialis Synodus Quebecensis celebrata fuerit, ac singula quæ in eadem statuta et decreta fuerunt, ad S. Congnem. de Pnda. Fide pro consueto examine transmissa, S. eadem Congtio. in Generali Conventu habito die 27 Septbris. curr. anni 1869, post diligentem accuratamque inquisitionem in omnia quæ a Synodo gesta sunt, paucis exceptis emendationibus, quæ in adjecta epistola ad Archiepum Quebecensem recensentur, prædictorum Eporum sollicitudinem in re catholica provehenda, ac disciplinæ uniformitate servanda, atque confirmanda valde commendans, cuncta edita Decreta plane recognovit.

Quam S. C. sententiam cum infraptus ejusdem S. C. Secrius SSmo. D. N. Pio, Div. Provid. P. P. IX in audientia habita die 3 Octobris ejusdem anni retulisset; Sanctitas Sua benigne confirmavit, ea quæ super re Decretum hoc expediri mandavit.

Dat. Romæ, ex æd. dictæ S. C. de P. F., die 20 Januarii 1870.

(Sign.) Al. Card. Barnabo, Pr.,

Joannes Simeoni, *Secretarius.*

APPENDICES

AD

QUATUOR CONCILIA

IN

CIVITATE QUEBECENSI

CELEBRATA.

APPENDIX AD PRIMUM.

POSTULATIO DE NOVIS OFFICIIS.

BEATISSIME PATER,

Ut in tota nostra Provincia Quebecensi laudes Deo una voce persolvamus, Nos Archiepiscopus Quebecensis et Episcopi diœcesium ejusdem provinciæ, in Concilio congregati, supplicamus Sanctitati Vestræ ut dignetur indulgere, ut Officia, Quebecensi Diœcesi jamdudum a Sancta Sede concessa, cæteris diœcesibus provinciæ nostræ concedantur ; et insuper ut alia Officia, quorum catalogum adnectimus, possint ubique per totam nostram Provinciam Quebecensem recitari. Quod de indulgentia Sanctitatis Vestræ humillime speramus.

Officia de quibus agitur, hæc sunt :

Desponsatio B. M. V. dupl. maj. Januarii 23.

S. Polycarpi, Episc. et mart. dupl. Januarii 26.

S. Ignatii, Ep. et mart. dupl. Februarii 1.

Orationis D. N. J. C. dupl. maj. feria 3. post Dom. Septuagesimæ.

Commem : Passionis D. N. J. C. dupl. maj. feria 3 post Dom. Sexagesimæ.

SS. Spineæ Coronæ D. N. J. C. dupl. maj. feria 6. post Dom. Quinquagesimæ.

SS. Lanceæ et Clavorum D. N. J. C. dupl. maj. feria 6. post Dom. I. Quadragesimæ.

SS. Sindonis D. N. J. C. dupl. maj. feria 6. post Dom. II. Quadragesimæ.

SS. Quinque Vulnerum D. N. J. C. dupl. maj. feria 6. post Dom. III. Quadragesimæ.

Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C. dupl. maj. feria 6. post Dom. IV. Quadragesimæ.

S. Patritii, Ep. et conf. dupl. maj. Martii 17.

S. Joseph, Sponsi B. M. V. dupl. 1. classis, Martii 19.

S. Joannis Nepomuceni, conf. dupl. Maii 22.

B. M. V. Auxiliatricis. dupl. maj. Maii 24.

S. Rochi, conf. dupl. Junii 17.

Purissimi Cordis B. M. V. dupl. maj. Dom. post octavam Assumptionis.

Maternitatis B. M. V. dupl. maj. Dom. II. Octobris.

Puritatis B. M. V. Dom. III. Octobris.

Patrocinii B. M. V. dupl. maj. Dom. IV. Octobris.

S. Stanislai Kostkæ, conf. dupl. Novembris 16.

S. Thomæ Cantuariensis, Ep. et martyris. dupl. Decembris 29.

Officium de SS. Corpore Christi. semid. omnibus feriis quintis ; Officium Conceptionis B. M. V. semid. singulis sabbatis ;	Dummodo non sint impedita juxta Decreta S. R. C. 20 Martii 1706. et 15 Martii 1804.

* * *

POSTULATIO DE SOLEMNITATIBUS.

Beatissime Pater.

Ad fovendam fidelium pietatem, nos Archiepiscopus Quebecensis et Episcopi Diœcesium omnium provinciæ ecclesiasticæ in Concilio congregati, humiliter petimus, ut Sanctitas Vestra indulgere dignetur, ut

quædam festa, nempe, *Purificationis B. M. V.,—S. Josephi,—S. Joannis-Baptistæ,—Assumptionis B. M. V,—Nativitatis ejusdem,—S. Michaelis Archangeli,—S. Patroni vel Titularis Ecclesiarum parochialium*, quorum solemnitas fit tantummodo die dominica sive præcedente sive sequenti, absque Missa et vesperis festo propriis, eodem modo celebrentur, etiam in dominica secundæ classis, quo B. M. V. Assumptionis festum peragere solemus, juxta indultum die 13. Martii 1819., a S. C. de Propaganda Fide concessum: " Placuit S. C., " ut in dominica immediate sequenti B. M. V. festum, " in cunctis Ecclesiis, missa et vesperæ solemnes, ac si " dies proprius Assumptionis esset, peragantur, additis " iis quæ de ritu sunt commemorationibus; denique ut " in Ecclesiis, ubi non celebratur missa cum cantu, una " missa de festo Assumptionis cum suis respective com- " memorationibus celebretur."

Quod de indulgentia Sanctitatis Vestræ speramus. Quebeci die 28. Augusti 1851.

* * *

DECRETUM S. CONGNIS DE P. FIDE CIRCA SOLEMNITATES.

Ex audientia SSmi. habita die 20 junii 1852.

Illmus. Dominus Noster Pius Divina Providentia PP. IX, referente me infrascripto S. Congnis. de Propaganda Fide Secretario, preces Archiepi. Quebecensis et Eporum. ejusdem Ecclesiasticæ provinciæ necnon votum ea de re per S. C. latum die 10 Maii 1852, benigne annuit ut in eadem Provincia pro festis Purificationis B. M. V., S. Josephi, S. Joannis-Baptistæ, Assump-

tionis B. M. V., Nativitatis ejusdem, S. Michaelis Archangeli, S. Patroni vel Titularis Ecclesiarum parochialium, quorum solemnitas fit die Dominica sequenti ; tunc etiamsi occurrat Dominica secundæ classis, in cunctis Ecclesiis missa et vesperæ solemnes ac si dies proprius esset, peragantur additis iis quæ de ritu sunt commemorationibus : in Ecclesiis vero ubi non celebratur missa cum cantu, una missa de prædictis festis cum suis respective commemorationibus celebretur, prout circa festum Assumptionis B. M. V. per rescriptum diei 13 maii 1819 provisum fuerat. Id vero Sanctitas Sua indulsit contrariis quibuscumque non obstantibus.

Dat. Romæ ex æd. S. C. de P. Fide, die et anno quibus supra.

Gratis sine ulla omnino solutione quocumque titulo.

[L. S.] AL. BARNABO,

A Secretis.

PETITUR UT ALIQUA PARS REDDITUUM PAROCHORUM ASSIGNETUR EPISCOPIS AD EORUM SUSTENTATIONEM.

Cum redditus ad sustentandos Episcopos in Canadensi Provincia, præcipue in neodiœcesibus, sint exigui et communiter ex fidelium pietate proveniant, Deputatus ad Apostolicam Sedem, J.-C. Prince, Episcopus Martyropolitanus et Coadjutor Marianopolitanensis, ad pedes Suæ Sanctitatis provolutus, eam humiliter deprecatur ut facultatem sequentem, jam aliquibus Episcopis, tam in Hibernia quam in Canada concessam, benigne et in perpetuum impertire dignetur.

Cuique Episcopo titulari et Episcopo Coadjutori pro tempore existenti, liceat accipere tertiam partem proventuum unius parœciæ, aut duarum parœciarum in Diœcesi ; vel quartam aut quintam partem, si inter tres aut quatuor parœcias ; vel, si melius videbitur, sumat Episcopus decimam tantum partem reddituum, si inter plures et fere omnes parœcias dividatur onus sustentandi Episcopum aut Episcopos ; habita semper circumstantiarum ratione, et his parœciis aliunde sufficienter provisis cum idoneis pastoribus.

Romæ die 15. Martii 1852.

† J.-C., Ep. Martyrop. Coadj. Marianop.

Deput. Prov. Eccl. Quebecensis.

DECRETUM SACRÆ CONGREGATIONIS DE PROPDA. FIDE.

Archiepiscopus et Episcopi Ecclesiasticæ Provinciæ Canadensis per R. P. D. Joannem Carolum Prince Episcopum deputatum ad Apostolicam Sedem, exposuerunt redditus ad sustentandos Episcopos, atque ad Episcopalia obeunda munia, præcipue in Diœcesibus recentius erectis esse exiguos et communiter ex fidelium pietate provideretur. Omnibus vero rite perpensis in generali conventu habito die 17 maii 1852, referente Emo. ac Revmo. Dno. Cardinali Ludovico Altierio, Emi. Patres censuerunt permittendum Archiepiscopo et Episcopis ut pro decima parte reddituum singuli Parochi seu missionarii vices Parochorum fungentes onerari possint, donec aliter a Sede Apostolica provideatur. Hanc vero S. Cognis. sententiam SSmo. Dno. Nro. Pio Papa IX. ab infrascripto ejusdem Secretario relatam,

Sanctitas sua benigne probavit servarique præcepit, contrariis quibuscumque nonobstantibus.

Datum Romæ ex ædibus S. Congnis. de Propda. Fide die 6 julii 1852.

L. S. J. PH. CARD. FRANZONI, *Præf.*

DECRETUM S. CONGREGATIONIS DE P. F.

BME. PATER,

J.-C., Epus. Martyropolitanus Coadjutor Marianopolitanensis, Deputatus Provinciæ Quebecensis, exposuit ut infra. Per Indultum a SSmo. Dno. Gregorio Papa XVI die 1a. junii 1834 datum, parochi diœcesis Quebecensis iis festis diebus quibus fideles ab obligatione audiendi missam Aplica. auctoritate soluti sunt, ab onere applicandi missam pro populo in posterum exempti sunt. At obligationem applicandi missam pro populo iis diebus prius ignorantes, fere omnes parochi in Canadensi Provincia hanc missæ applicationem omiserant. Hinc petitur ut, sicut pro Belgicis provinciis factum est, Sancta Sedes presbyteros Canadenses solvat ab obligatione hanc reparandi omissionem.

Ex audientia SSmi. habita die 29 februarii 1852.

SSmus. Dnus. Noster Pius Divina Provida. PP. IX, referente me infrapto. S. Congnis. de Propaganda Fide Secreto. benigne annuit pro petita sanatione, celebrato tamen aliquo numero missarum ab ordinario proprio designando.

Dat. Romæ ex æd. dic. S. Congnis. die et anno ut supra.

Gratis sine ulla omnino solutione quocumque titulo.

L. S. AL. BARNABO, *a Secretis.*

PETITIO DE ERECTIONE TRIFLUVIANENSIS DIŒCESIS.

Sanctissimo Domino Nostro Pio Papæ Nono.

Beatissime Pater,

Nobis, Archiepiscopo et Episcopis provinciæ ecclesiasticæ Quebecensis, ad religionis bonum maxime conducere visum est ut nova Sedes Episcopalis in urbe Trifluviana erigatur, quæ territorium inferius designatum, ex Archidiœcesi Quebecensi extractum, comprehenderet.

Nova Diœcesis Trifluvianensis continebit totum districtum Trifluvianensem, comitatus vulgo dictos *Champlain, Saint-Maurice, Yamaska, Nicolet* et *Drummond* comprehendentem, et partem comitatus vulgo dicti *Sherbrooke,* in districtu S. Francisci, in qua inveniuntur loca (*Townships*) nuncupata *Garthby, Hatford, Whitton, Marston, Clinton, Woburn, Stanhope, Croydon, Chesham, Adstock, Linwick, Weedon, Dudswell, Bury, Hampden, Ditton, Embarton, Drayton, Auckland, Newport, Westbury, Stoke, Windsor et Shipton.*

Idoneos novæ Sedi regendæ commendandos duximus * * * et enixe rogamus ut Sanctitas Vestra unum ex eis ad novam Diœcesim regendam seligere dignetur.

Quod de indulgentia Sanctitatis Vestræ speramus.

Provincia Canadensi, mense octobri 1851.

Breve Erectionis.

Pius PP. IX.

Ad futuram rei memoriam. Universi Dominici gregis cura quæ Nobis utpote Beati Petri Apostolorum Prin-

cipis Successoribus commissa divinitus est, illud exigit, ut quum opportunum fuerit, novas per terrarum orbem constituamus ecclesias, novosque præficiamus pastores ut saluti ovium facilius ac securius ea ratione consultum sit. Jam vero quum Archiepiscopus Quebecensis, ejusdemque Suffraganei Episcopi ex Synodo anno proxime superiori habita Nobis supplicaverint, ut ad melius providendum spirituali fidelium bono ex satis ampla Quebecensi diœcesi partem quamdam sejungeremus ad novam ecclesiam constituendam, quæ suffraganea esset Metropolitanæ Quebecensis, et cujus sedes in civitate Trifluviana statueretur, Nos de hac re deliberationem habuimus cum VV. FF. NN. S. E. R. Cardinalibus propagandæ fidei præpositis, omnibusque mature perpensis expedire in Domino judicavimus ut ad prædictæ Ecclesiæ erectionem deveniamus. Itaque motu proprio, certa scientia ac matura deliberatione Nostra, deque Aplicæ. auctis. plenitudine a Diœcesi Quebecensis sejungimus, ac dismembramus totum districtum Trifluvianensem, Comitatus vulgo dictos *Champlain*, Sancti Mauritii, *Yamaska*, *Nicolet* et *Drummond* comprehendentem, item partem comitatus vulgo dicti *Sherbrooke*, in districtu Sancti Francisci, in qua inveniuntur loca (*Townships*) nuncupata *Garthby*, *Stratford*, *Whitton*, *Marston*, *Clinton*, *Woburn*, *Stanhope*, *Croydon*, *Chesham*, *Adstock*, *Linwick*. *Weedon*, *Dudswell*, *Bury*, *Hampden*, *Ditton*, *Embarton*, *Drayton*, *Auckland*, *Newport*, *Westbury*, *Stoke*, *Windsor* et *Shipton*. Has regiones igitur et prædicta loca a Quebecensis diœcesi dismembrata territorium efficere volumus novæ ecclesiæ Trifluvianæ nuncupandæ cujus sedem episcopalem in civitate Trifluvianæ erigimus et constituimus, atque hanc Trifluvianam ecclèsiam sic erectam suffraganeam esse volumus,

Archiepiscopalis Ecclesiæ Quebecensis. Hæc volumus, statuimus et mandamus, decernentes has litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, iisque ad quos spectant quovis tempore suffragari, sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii Aplici. auditores ac S. R. E. Cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et aucte. judicari, ac definiri debere, irritumque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis aucte. scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstan. Nostra, et Cancellariæ Aplicæ. regula de jure quæsito non tollendo et quatenus opus sit fel : rec : Benedicti XIV Prædecessoris nostri super Divisione Materiarum, aliisque Aplicis. Constitutionibus cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die VIII Junii, MDCCCLII, Pontificatus Nostri Anno Sexto.

(L. S.) *Pro Domino Card. Lambruschini.*

Jo. B. Brancaleoni Castellani, *Substus.*

PETITIO DE ERECTIONE DIŒCESIS S. HYACINTHI.

Sanctissimo Domino Nostro Pio Papæ IX.

Beatissime Pater,

Nos Archiepiscopus et Episcopi provinciæ ecclesiasticæ Quebecensis animarum necessitatibus providere desiderantes, novam Sedem Episcopalem in loco vulgo dicto *Saint-Hyacinthe,* quæ territorium infra designatum regat, erigendam duximus, dummodo ita S. Sedi Apostolicæ placuerit.

Nova Diœcesis S. Hyacinthi continebit comitatus dictos *Saint-Hyacinthe, Richelieu, Rouville, Missisquoi, Shefford* et *Stanstead*, in Diœcesi et Districtu Marianopolitanensi, et partem comitatus vulgo dicti *Sherbrooke* comprehendentem loca (*Townships*) nuncupata *Melbourne, Brompton, Orford, Ascot, Eaton, Clifton, Compton* et *Hereford*, in Districtu S. Francisci et Archidiœcesi Quebecensi.

Humiliter quoque petimus ut Illustrissimus ac Reverendissimus Joannes-Carolus Prince, Episcopus Martyropolitanensis, jam Coadjutor cum futura successione Illustrissimi ac Reverendissimi Episcopi Marianopolitanensis, ad novam Diœcesim regendam seligatur. Quod de indulgentia Sanctitatis Vestræ speramus.

Provincia Canadensi, mense octobri 1851.

* * *

Breve Erectionis.

PIUS PP. IX.

Ad futuram rei memoriam. Ad Romanum spectat Pontificem utpote Apostolorum Principis in gubernanda universa Ecclesia Successorem novas per terrarum orbem constituere diœceses, quum res ac tempus postulet, ut nimirum aucto Pastorum numero in tantis insidiis Christiani gregis securitati consulatur. Jamvero Episcopi regionis Canadensis in America Septentrionali ac Provinciali Concilio anno superiori celebrato Nobis supplicarunt, ut, quo melius provideri possit spirituali bono fidelium, novam Episcopalem sedem erigeremus in civitate Sancti Hyacinthi, dismembratis nonnullis

regionibus ex satis amplis Diœcesibus Quebecensi et Marianopolitana, quæ nova Episcopalis sedes suffraganea esset Archiepiscopalis Ecclesiæ Quebecensis. Nos hac super re cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus propagandæ Fidei præpositis deliberavimus ac mature perpensis omnibus dictorum Antistitum precibus adnuendum atque ad erectionem novæ Ecclesiæ prædictæ deveniendum existimavimus. Itaque motu proprio ac matura deliberatione Nostra, deque Apostolicæ potestatis plenitudine ex Archidiœcesi Quebecensi ac districtu Sancti Francisci sejungimus ac dismembramus partem comitatus vulgo dicti *Sherbrooke*, comprehendentem loca (*Townships*) nuncupata *Melbourne*, *Brompton*, *Orford*, *Ascot*, *Eaton*, *Clifton*, *Compton* et *Hereford* ; ex diœcesi vero ac districtu Marianapolitano dismembramus comitatus Sancti Hyacinthi, *Richelieu*, *Rouville*, *Missisquoi*, *Shefford* et *Stanstead*. Igitur has regiones seu loca partim ab Archidiœcesi Quebecensi, partim a diœcesi Marianopolitana, ut superius dismembrata, territorium efficere volumus novæ Episcopalis Ecclesiæ, cujus sedem in civitate Sancti Hyacinthi erigimus et constituimus, eamque suffraganeam esse volumus Archiepiscopalis Ecclesiæ Quebecensis. Hæc volumus, statuimus, mandamus, decernentes has litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, iisque ad quos spectant quovis tempore suffragari, sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Aplici. auditores, ac S. R. E. Cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et aucte. judicari ac definiri debere, irritumque et inane, quidquid secus super his a quoquam, quavis aucte. scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non

obstan : Nostra et Cancellariæ, etc. Datum Romæ die VIII junii MDCCCLII.

PETITIO DE ELECTIONE COADJUTORIS MARIANOPOLITANENSIS.

Sanctissimo Domino Nostro Pio Papæ IX.

BEATISSIME PATER,

Cum jam Sanctitati Vestræ supplicaverimus ut regimen novæ Diœcesis S. Hyacinthi, cujus erectionem petimus, Illmo. ac Rmo. Joanni-Carolo Prince, Episcopo Martyropolitanensi ac Illmi. et Rmi. Episcopi Marianopolitanensis Coadjutori, conferre dignetur, nunc Sanctitatem Vestram enixe rogamus ut eidem Episcopo Marianopolitanensi alterum Coadjutorem *cum futura successione*, quo adhuc propter corporis debilitatem valde indiget, benigne concedere velit.

Ad hoc munus Sanctitati Vestræ tanquam idoneos humillime commendamus * * *, ut ex eis, si opportunum judicaverit, unus seligatur.

Quod de indulgentia Sanctitatis Vestræ speramus.

Provincia Canadensi, mense octobri 1851.

* * *

PROPAGANDA FIDE.

EPISTOLA EMI. PRÆFECTI CONG. DE P. F. DE ELECTIONE EPISCOPORUM.

ILLME. ET RME. DOMINE,

Juxta Eporum. vota Illmus. D. Noster annuit pro erectione duarum Ecclesiarum. Epalium. S. Hyacinthi

nempe et Trifluvianæ, quarum primæ fuit propositus R. P. D. Joannes-Carolus Prince, antea Epus. Martyropolitanus, alteri vero Thomas Cooke ab Episcopis commendatus. Litteræ Aplicæ. tum pro Eccliarum. erectione, tum circa Eporum. electionem prælaudato Epo. traditæ sunt, quemadmodum et facultates formulæ typis impressæ. In memoratis litteris circa electionem novarum diœcesium limites præfiniuntur juxta districtus in vestro supplici libello adnotatos.

Si vero deinde necessitas occurrat diversimode limites eosdem definiendi, ea de re accurate S. Congtio. certior erit reddenda ut opportune provideatur.

Huic demum epistolæ A. Tua adjecta reperiet Brevia Apostolica quibus R. D. Josephus LaRocque ad Epatum. titulo in partibus infidelium promovendus decernitur et, loco R. P. D. Joannis-Caroli Prince, Coadjutor cum futura successione Epo. Marianopolitano adsignatur. Precor Deum ut Te diu sospitem incolumemque servet.

Romæ ex æd. S. C. de Pnda. Fide die 8 julii 1852. Ampl. Tuæ.

Ad officia paratissimus,

J. PH. CARD. FRANZONI, *Præf.*

AL. BARNABO, *a Secretis.*

APPENDIX AD SECUNDUM.

Epistola Patrum Concilii secundi Quebecensis Romam una cum Decretis ejusdem Concilii post ejus celebrationem ad Summum Pontificem missa.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PIO PAPÆ IX.

BEATISSIME PATER,

Archiepiscopus necnon Episcopi provinciæ ecclesiasticæ Quebecensis, utpote visibili Ecclesiæ capiti addictissimi, incessanter mente sibi repræsentant amantissimum Patrem, quem ipsi tanto amore prosequuntur. Cum hodie in urbe metropolitana ad provinciale Concilium celebrandum juxta regulas canonicas sint coadunati, data occasione libentissime utuntur, ut iterum testificentur solemniori modo, qua veneratione, obedientia, devotione erga Sanctam Sedem magis afficiuntur. In regionibus ab urbe Roma remotissimis degentes, Patres Concilii sunt valde solliciti ut saltem testimonium solemne ante oculos Sanctitatis Vestræ depositum Paternitati Vestræ rememoret Canadenses Episcopos inter addictissimos filios vestros annumerandos esse.

Quamvis impietas necnon multiformis hæresis in hisce regionibus eadem ac catholica virtus libertate gaudeant, fideliumque aures sæpissime lacerentur dicteriis, calumniisque eorum qui a vera fide aversi, præjudiciisque obcæcati, Sanctæ Sedi, *columnæ et firmamento veritatis* pertinaciter obloquuntur ; attamen nedum fides et devotio erga supremum Ecclesiæ caput imminuantur, firmiora vividioraque de die in diem evadere videntur. Omnes enim intelligunt palmites quo latius a vite ob-

ducuntur eo magis indigere ad ferendum fructum ut viti plenius adhæreant.

Hac veritate ducti primi Concilii Quebecensis Patres de obedientia Summo Pontifici debita decretum ediderunt, Romanaque liturgia, quæ jamdudum fere quoad omnes suas partes in provincia nostra vigebat, Episcoporum unanimi ore fuit adoptata. Ne autem aliquis error in sacrorum rituum praxim et explanationem haud sponte irreperet, cæremoniale rubricis omnino conforme publicandum fore decreverunt.

Cæremoniale istud jam prelo traditum una cum decretis quæ tum ad fovendam fidelium pietatem, tum ad zelum pastorum animarum dirigendum, tum ad fidem contra multiplices Ecclesiæ hostes tuendam, in hoc secundo Concilio condidimus, Sanctitatis Vestræ judicio subjecturus est, Reverendus Elzear-Alexander Taschereau, presbyter et unus ex Directoribus Siminarii Quebecensis nobis in Domino carissimus, et omni nostra fiducia dignus.

Ad pedes amantissimi Patris provoluti nobis fidelibusque nostræ sollicitudini commissis apostolicam benedictionem humillime imploramus.

Sanctitatis Vestræ,

Obsequentissimi devotissimique filii.

✠ P.-F., Archieppus Quebecensis.
✠ Ig., Epus. Marianopolitanensis.
✠ Patricius, Epus. Carrhensis, Admt. Apostolicus.
✠ J.-C., Epus. Sti. Hyacinthi.
✠ Jos.-Eugenius, Epus. Bypol.
✠ Armandus-Fr.-Ma., Epus. Toront.
✠ Thomas, Epus. Trifluvianensis.

Quebeci, die 4a junii A. D. 1854.

PII PAPÆ IX LITTERÆ

Super actis secundi Concilii Quebecensis.

Pius P. P. IX.

Venerabiles Fratres Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Litteras benevolentissime accepimus die quarto junii proximi datas, quibus Venerabiles Frates, ad Nos acta Concilii mox a vobis celebrati, animo supremæ huic Apostolicæ Sedi addictissimo planeque devoto, mittere voluistis. Quantam Nos ceperimus in Domino consolationem quum ex iisdem vestris litteris studium et alacritatem intelleximus, quibus, Venerabiles Fratres, in custodiendo vigilias super vestri gregem, eumque in doctrina sana erudiendum continuo adlaboratis, vix explicare verbis possumus. Itaque cum meritis vos prosequimur laudibus, pro supremi Apostolatus Nostri munere vobis ipsis bene licet currentibus stimulos addimus, ut Ecclesiæ auctoritatem ac leges, sacrorumque canonum disciplinam majori usque studio tuendo ac propugnando, magis in dies et magis de Nobis Sanctaque hac Sede possitis præclare mereri. Jamvero Congregationi Nostræ de Propaganda Fide acta Concilii vestri et petitiones dedimus expendendas, a qua, ubi primum fieri poterit, responsa accipietis. Quod superest, Deum suppliciter oramus et obsecramus, ut vos creditamque vobis suæ vineæ partem dextera sua tegat et brachio sancto suo defendat; ac Nostræ pignus studiosissimæ voluntatis Apostolicam Benedictionem, vobis ipsis, Venerabiles Fratres, vestroque clero ac fideli populo universo, effuso cordis affectu peramanter impertimur.

Datum Romæ apud S. Petrum, die 8 novembri 1854, Pontificatus Nostri anno IX.

PIUS P. P. IX.

INDULTUM

DE COMMEMORATIONE S. JOSEPH IN OFFICIIS SPONSALIUM B. V. M.

Beatissime Pater,

Quum magna existit devotio hac in regione erga B. Joseph qui olim in patronum Novæ Franciæ electus est, Nos, Archiepiscopus et Episcopi provinciæ Ecclesiasticæ Quebecensis, humiliter petimus, ut Beatitudo Vestra velit concedere facultatem faciendi commemorationem hujus Sancti in officiis Sponsalium Beatissimæ Virginis.

Quod de Sanctitatis Vestræ indulgentia speramus.

Quebeci die 4 junii 1854.

✠ P. F. Archiep. Quebecensis.
✠ Ig. Ep. Marianopolitanus.
✠ Patricius Ep. Carrhensis, Adm. Apost.
✠ J. C. Ep. S. Hyacinthi.
✠ Jos. Eug. Ep. Bypolit.
✠ Armandus F. Ma. Ep. Toront.
✠ Thomas Ep. Trifluvianensis.

Ssmus Dominus Noster Pius Divina Providentia Papa IX, referente infrascripto S. C. de Propda Fide Secretario in audientia diei 13 maii 1855, benigne annuit juxta petita, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romæ ex ædibus S. Cognis de Propda. die et anno ut supra.

Gratis sine ulla omnino solutione quocumque titulo.

L. S. Al. Barnabo *a Secretis*.

INDULTUM

DE TRANSLATIONE SOLEMNITATUM.

Beatissime Pater,

Cum sæpius exoriantur difficultates circa solemnitates quarumdam festivitatum, quæ, virtute indulti die 20 junii 1852 dati, celebrandæ sunt diebus dominicis prædictas festivitates sequentibus, et cum frequenter hæ dominicæ suntalias impeditæ, Nos, Archiepiscopus et Episcopi provinciæ Ecclesiasticæ Quebecensis, humiliter petimus ut Beatitudo Vestra velit nobis impertiri privilegium die 11 martii 1837 concessum Episcopo Bajocen. celebrandi scilicet prædictarum festivitatum solemnitates in dominica proximiori præcedenti non impedita.

Dictum privilegium his verbis constat. Episcopus Bajocen. S. R. C. humillime supplicavit ut, in sua diœcesi, solemnitas sanctorum Patronorum cujuslibet parœciæ celebrari valeat dominica proximiori non impedita, sive ipsa festum præcedat, sive subsequatur.

Et S. R. C. rescripsit: pro facultate transferendi festa de quibus in precibus ad dominicos dies non impeditos festo altioris ritus, vel privilegiatos, in quibus tamen permittitur missa votiva solemnis de festo translato, dummodo in cathedrali missa de sancto occurente non omittatur, quatenus vero dominica proximior sequens sit impedita, tunc festum ut supra fieri permittitur in dominica proximiori præcedenti.

Quebeci die 4 junii 1854.

✠ P. F. Archiep: Quebecensis.
✠ Ig. Ep. Marianopolitanus.
✠ Patricius Ep. Carrhensis, Adm. Apost.
✠ J. C. Episc. S. Hyacinthi.
✠ Armandus F. M. Ep. Tor.
✠ Th. Ep. Trifluvian.

Ssmus Dominus Noster Pius Divina Providentia Papa IX, referente infrascripto S. C. de Propda Fide Secretario in audientia diei 13 maii 1855, precibus perpensis, juxta votum Emorum Patrum benigne annuit juxta petita, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romæ ex ædibus S. Cognis de Prop. Fide, die et anno ut supra.

Gratis sine ulla omnino solutione quovis titulo.

L. S. Al. Barnabo *a Secretis.*

INDULTUM

PRO ABROGATIONE QUARUMDAM FESTIVITATUM IN KINGSTONIEN., TORONTO., ET BYPOLIT. DIOECESIBUS.

Beatissime Pater,

Ut catholici in Kingstoniensi, Torontina et Bypolitana diœcesibus numero a catholicis cedentes, ab eisque magna ex parte pendentes, ad necessaria vitæ obtinenda, multa, graviaque et in se et suis in familiis incommoda patiuntur observationem quarumdam festivitatum solemnium, sæpiusque illas servare non possunt, Nos, Archiepiscopus et Episcopi provinciæ Ecclesiasticæ Quebecensis, humiliter exoramus ut Beatitudo Vestra ad religionis utilitatem promovendam et conscientiarum pacem tuendam, benigne velit pro supradictis diœcesibus, quemadmodum jamjam factum est diœcesibus Statuum Fœderatorum, abrogationem permittere festorum Epiphaniæ, Annuntiationis Bmæ Virginis, Corporis Christi, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis et Immaculatæ Conceptionis Bmæ Mariæ Virginis, eorumque

festorum solemnitatem in dominicam transferre. Quod de indulgentia Sanctitatis Vestræ speramus.

Quebeci die 4 junii 1854.

✠ P.-F. Archiep. Quebecensis.
✠ Ig. Ep. Marianopolitanensis.
✠ Patricius Ep. Carrhensis, Adm. Apost.
✠ J.-C. Ep. S. Hyacinthi.
✠ Joseph-Eug. Ep. Byp.
✠ Armandus F. M. Ep. Tor.
✠ Thomas Ep. Trifluvianensis.

Ssmus Dominus Noster Pius Divina Providentia Papa IX, referente infrascripto S. C. de Propda fide Secretario in audientia diei 13 maii, precibus perpensis, juxta votum Emorum Patrum benigne annuit, retentis tamen festis Epiphaniæ Dni et Immaculatæ Conceptionis B. M. V., et injuncta fidelibus in aliis vel missæ auditione, vel recitatione alicujus orationis arbitrio Ordinarii : contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romæ ex ædibus S. Cognis de Propda Fide, die et anno ut supra.

Gratis sine ulla omnino solutione quocumque titulo.

L. S. Al. Barnabo a Secretis.

INDULTUM

PRO ADJUNCTIONE TRIUM PARŒCIARUM DIŒCESI S. HYACINTHI.

Beatissime Pater,

Archiepiscopus et Episcopi provinciæ Quebecensis in Canada conciliariter congregati, ad pedes Sanctitatis

Vestræ provoluti, humiliter petunt ut tres parœciæ, scilicet una a sancto Antonio, altera a sancto Marco, tertia a sancto Matthæo vulgo *Belœil* denominatæ, necnon et partes parœciarum a sancto Urso, et a sancto Petro vulgo *Sorel*, situatæ juxta ripam lævam amnis *Richelieu*, detrahantur a diœcesi Marianopolitana, et addantur novæ diœcesi sancti Hyacinthi, consentientibus duobus Episcopis.

Rationes hujus postulationis eæ sunt : 1. Istæ parochiæ juxta ripam amnis *Richelieu*, proximiores sunt civitati sancti Hyacinthi quam civitati Marianopolitanæ; 2. Quasi necessariæ sunt ad sustentationem Episcopi sancti Hyacinthi ; 3. Valde utiles forent ad augmentationem sacerdotum, cum plures alumni harum parœciarum degentes sint in seminario sancti Hyacinthi ad cursum studiorum peragendum.

Quebeci die 5 junii 1854.

Santitatis Vestræ,

Filii obsequentissimi,

✠ P.-F. Archiep. Quebecensis.
✠ IG. Ep. Marianopolitanus.
✠ PATRICIUS Ep. Carrhensis, Adm. Ap.
✠ J.-C. Ep. S. Hyacinthi.
✠ JOSEPH-EUG. Ep. Bypolit.
✠ ARMANDUS F. M. Ep. Tor.
✠ THOMAS Ep. Trifluvianensis.

Ssmus Dominus Noster Pius Divina Providentia Papa IX, referente infascripto S. C. de Propda Fide Secretario in audientia diei 13 maii 1855, perpensis precibus, juxta votum Emorum Patrum benigne annuit

pro dismembratione trium parœciarum ex diœcesi Marianopolitana, ut diœcesi sancti Hyacinthi adjungantur, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romæ ex ædibus S. Cognis de Propda Fide, die et anno ut supra.

Gratis sine ulla omnino solutione quocumque titulo.

L. S. Al. Barnabo *a Secretis.*

APPENDIX AD TERTIUM.

PETITIO

VARIARUM FACULTATUM ET GRATIARUM

Sanctissime Pater,

Nos, Episcopus Tloanensis, Archidiœcesis Quebecensis Administrator, et alii ejusdem nominis provinciæ Episcopi, ob varii generis incommoda vitanda, et ad fovendam caritatem fidelium, humiliter postulamus sequentes facultates et favores :

1. Facultatem impertiendi extra missam benedictionem nuptialem solemnem, iis sponsis, quibus eamdem, jure communi, licet intra missam impertiri ;

2. Facultatem adhibendi, in baptismo adultorum, easdem cæremonias quibus utuntur in parvulorum baptismo ;

3. Utendi in reconciliatione hæreticorum, brevi formula cujus Sancta Sedes usum concessit Provinciis Fœderatis Americæ Septentrionalis ;

4. Indulgentiam plenariam, quater in anno lucrandam, ad promovendas pias sodalitates, seu associationes, quarum nomina sequuntur :

1. Sodalitas dicta de S. Hieronymo Æmiliano ;
2. Pauperum ancillulæ ;
3. Sodalitas de S. Infantia ;
4. Beneficentiæ societas.

Insuper earumdem sodalitatum membris indulgentiam trecentorum dierum, quotiescumque alicui operi

societati proprio vacabunt, quotiesque convenient ad fines suæ respectivæ sodalitatis.

✠ C.-F. Epus Tloan.
✠ IG. Epus Marianopolitanensis.
✠ JOS.-EUGENIUS Epus Ottawiensis.
✠ ALEX. Epus Sti Bonifacii.
✠ JOS. Epus Sti Hyacinthi.
✠ JOANNES Epus Hamiltonensis.
✠ THOMAS Epus Trifluvianensis.
✠ PETRUS-ADOLPHUS Epus Sandovicensis.
✠ E. J. Epus Kingstoniensis.
✠ JOANNES-JOSEPH Epus Torontinus.

DECRETUM

S. CONGNIS DE PROPAGANDA FIDE

Pro concessione facultatis benedicendi nuptias extra Missam.

Cum in generalibus comitiis S. C. de Pnda Fide habitis die 30 januarii 1865, referente Emo ac Rmo Card. Ludovico de Alteriis, actum fuerit de supplici libello ab RR. PP. DD. Francisco Baillargeon, Epo Tloano, Admre Archidiœcesis Quebecensis, et Episcopis Canadensibus in III Synodo provinciali Quebecensi anno 1863 celebrata subscripto, quo SSmum D. N. precabantur ut ad vitanda varii generis incommoda, facultatem pro omnibus illius provinciæ Diœcesibus concedere dignaretur, *impertiendi extra missam benedictionem nuptialem solemnem iis sponsis, quibus eamdem, jure communi, licet intra missam impertiri :* Eadem S.

Congregatio censuit ac decrevit *supplicandum SSmo pro gratia, accedente tamen rationabili causa.*

Hanc autem S. Congnis sententiam SSmo D. N. Pio Div. Provid. PP. IX relatam per R. P. D. Hannibalem Capalti S. Congnis Secretarium in audientia diei 5 februarii 1865, Sanctitas Sua benigne approbavit, et gratiam prout supra benigne concessit.

Dat. Romæ ex æd. S. C. de Pnda Fide die 19 augusti 1865.

Al. C. BARNABO, Præf.

L. S. H. CAPALTI, Secrius.

DECRETUM

S. CONGNIS DE PROPAGANDA FIDE

Pro concessione quarumdam Indulgentiarum.

Cum in generalibus comitiis S. C. de Pnda Fide habitis die 30 januarii 1865, referente Emo et Rmo Card. Ludovico de Alteriis, expositum fuerit RR. PP. DD. Franciscum Baillargeon, Epum Tloanum, Admrem Archidiœcesis Quebecensis et Epos Canadenses in III Synodo prov. Quebecensi anno 1863 coadunatos per supplicem libellum Romam missum SSmum D. N. precatos fuisse ut concedere dignaretur—" Indulgentiam " plenariam quater in anno lucrandam ad promovendas " pias sodalitates seu associationes quarum nomina " sequuntur : 1. Sodalitas dicta de S. Hieronymo Æmi- " liano, 2. Pauperum ancillulæ, 3. Sodalitas de S. " Infantia, 4. Beneficentiæ societas. Insuper earumdem " sodalitatum membris indulgentiam trecentorum dierum " quotiescumque alicui operi societati proprio vacabunt,

" quotiesque convenient ad fines suæ respectivæ socie-
" tatis " — S. Congtio respondendum censuit : *Audito prius super indole piarum societatum de quibus agitur R. P. D. Epo Marianopolitano, nunc Romæ degente, quatenus nihil in contrarium obstet, affirmative.*

De hac itaque re prædictus Epus requisitus opportunas non distulit exhibere notitias, quas cum S. Congtio in alio generali cœtu habito die 22 maii 1865, eodem Emo ac Rmo Card. Ludovico de Alteriis referente, mature perpendisset, proposito tunc dubio : *An sit supplicandum SSmo pro concessione Indulgentiarum de quibus agitur,* respondit : *Affirmative.*

Hanc porro S. C. sententiam SSmo. D. N. Pio Div. Provid. PP. IX relatam per R. P. D. Hannibalem Capalti S. Congnis Secrium in audientia diei 28 maii 1865, Sanctitas Sua benigne approbavit, petitasque Indulgentias prout sequitur largita est.

Omnibus itaque confratribus et consororibus memoratarum piarum sodalitatum in Quebecensi provincia canonice erectarum vere pœnitentibus, confessis, ac S. communione refectis qui quamlibet ecclesiam, seu capellam publicam, quatuor diebus, per unumquemque Epum semel et in perpetuum relate ad sodalitates sibi subjectas designatis, a primis vesperis usque ad occasum solis dierum hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die prædictorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem misericorditer in Dno concessit. Insuper omnibus prædictarum sodalitatum confratribus et consororibus quoties alicui operi suæ sodalitatis proprio vacaverint, nec non quoties juxta regulas suæ sodali-

tatis in unum convenerint, dummodo contrito saltem corde orationem dominicam, salutationem angelicam ac trisagium devote recitaverint, tercentum dies de injunctis iis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxavit ; quas omnes et singulas Indulgentias, peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes etiam animabus christifidelium, quæ Deo in caritate conjunctæ ex hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse etiam in Dno concessit. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Dat. Romæ ex æd. dictæ S. C. de Pnda. Fide. die 19 augusti 1865.

Al. C. Barnabo, Præf.

L. S. H. Capalti, Secrius.

LITTERÆ

S. CONGNIS DE PROPAGANDA FIDE AD R. P. D. C. F. BAILLARGEON, EPUM TLOANUM, ADMREM AP. ARCHIDIŒCESIS QUEBECENSIS

De Methodo servanda in electione Episcoporum diœcesium provinciæ Quebecensis.

Illme et Rme Dne,

Cum Te petente, S. Congregatio in conventu generali habito die 2 decembris 1862 decernendum censuerit ut præscriptiones etiam nuperrime sancitæ circa methodum electionis Episcoporum in Statibus Fœderatis Americæ, eædem ad diœceses Quebecensis provinciæ extendantur ; hanc autem sententiam SSmus D. N. in audientia diei 7 decembris anni 1862 benigne appro-

baverit, mitto Tibi exemplar litterarum super iisdem decretis editarum, quæ ad Episcopos Fœderatorum Statuum directæ fuerunt.

Itaque memoratæ litteræ, quæ ad A. Tuam et ad suffraganeos pervenient normam præbebunt quoad ea quæ efficienda erunt cum de novis Episcopis eligendis agi debeat. Supervacaneum puto animadvertere quod ea tantummodo non possunt in usum deduci, quæ diversarum provinciarum existentiam supponunt. Hæc siquidem locum habebunt cum plures provinciæ in Canadensi regione esse cœperint. Quod non longe futurum spero, Deo benedicente sollicitudini Episcoporum per quos plantatio vineæ Domini feliciter crevit, et uberiores in dies fructus pollicetur. Interea Deum precor ut Te diu sospitem et incolumem servet.

Romæ ex Æd S. C. de Pnda. Fide die 28 martii 1863.

A. Tuæ uti Frater addictissimus,

Al. C. Barnabo, Præf.

H. Capalti, Secrius.

METHODUS

IN ELECTIONE EPISCOPORUM DIŒCESIUM FŒDERATARUM AMERICÆ SEPTENTRIONALIS PROVINCIARUM SERVANDA.

Quum ad Catholicæ Ecclesiæ utilitatem atque ad animarum salutem promovendam nil magis conferre compertum sit, quam ut Dominico gregi sacrorum Antistites doctrina ac prudentia insignes præficiantur, idcirco S. Sedes peculiare quovis tempore studium in negotio ele-

ctionis Episcoporum adhibendum curavit. Quam utique in rem sapientissimæ extant canonicæ sanctiones, variæ quidem pro varietate temporum ac regionum, at specialibus semper et temporum et locorum adjunctis accommodatæ. Nil igitur mirum si pro Fœderatis Statibus Americæ Borealis, ubi novæ passim efformantur civitates novæque proinde tractu temporis diœceses, ac provinciæ Ecclesiasticæ instituuntur, sacrum consilium christiano nomini propagando opportuna haud multis abhinc annis ediderit decreta, quibus tales eligerentur pro vacantibus sedibus Episcopi, quales inibi catholicæ religionis status ejusque in dies progressus ac dilatio postularent. Et sane laudatum S. consilium die 18 martii 1834, decretum edidit *super methodo servanda in Episcoporam diœcesium Fœderatarum Americæ Sept. Provinciarum electione*, quod sic se habet.

" Cum ad religionis incrementum in Fœderatis
" Americæ Regionibus stabilius procurandum in primis
" conferat, ut Episcoporum diœcesium ibi statutarum
" electionis gravissimum negotium rite sancteque absol-
" vatur ; S. C. de Propaganda Fide valde opportunum
" esse ad hoc consequendum existimans, ut certa me-
" thodus ubique in illis diœcesibus servanda statuatur,
" qua fiat, ut Sedes Apostolica exploratam notitiam ha-
" bere possit meritorum sacerdotum pro quibus com-
" mendationes afferentur, in generali conventu die 18
" martii anno 1834 habito, et referente Emo et Rmo
" D. J. Antonio S. R. E. Cardinali Sala, censuit et de-
" crevit in ea re esse servanda quæ sequuntur.

" Cum aliqua Sedes Episcopalis vacaverit requiren-
" dum est Episcoporum omnium provinciæ ecclesiasticæ
" suffragium de sacerdotibus singulis, qui Sedi Apo-

" stolicæ commendandi esse videntur pro nova Episcopi
" electione. Quoniam vero id in Concilio provinciali
" facillime et accurate fieri potest, si intra tres menses
" ab obitu Episcopi Concilium provinciale habendum
" sit, expectanda erit Concilii celebratio, antequam ad
" commendandos sacerdotes, qui Episcopatu digni
" censentur, ad S. Congregationem scribatur. In Con-
" cilio autem, collatis inter se sententiis, Episcopi statuant
" quos sacerdotes S. Sedi commendent vere idoneos,
" et de Ecclesia benemeritos qui Sedes vacantes obti-
" neant, vel coadjutoris officium suscipiant illius Epi-
" scopi qui auxilio coadjutoris indigere censeatur.

" Quod spectat vero ad casus quibus prout superius
" statutum est, Concilii provincialis celebratio non ita
" proxima sit, ne Sedes Episcopalis aliqua diu vacet,
" primum hoc magnopere opportunum factu est, ut sin-
" guli Episcopi litteras subscriptas, et sigillo munitas,
" duplici exemplo apud se habeant, quibus contineantur
" nomina trium saltem sacerdotum, quos idoneos arbi-
" trentur ad diœcesim regendam ; hæ autem litteræ ita
" exterius obsignari debent, ut adveniente Episcopi
" morte Vicario Generali tradendæ esse intelligantur :
" Vicarius vero Generalis alterum earum litterarum
" exemplum ad Archiepiscopum, alterum ad propin-
" quiorem, vel ad seniorem e duobus Episcopis propin-
" quioribus deferendum curet. Eo litterarum exemplo
" accepto, Episcopus propinquior ad Archiepiscopum
" scribet suasque animadversiones adjiciet. Epistola
" Episcopi propinquioris ad Archiepiscopum delata, vel
" si neglexerit is scribere, rationabili elapso temporis
" spatio, Archiepiscopus ad omnes Episcopos ne pro-
" pinquiori quidem excepto scribet, et nomina illa cum
" suis animadversionibus communicabit, aliorum etiam

" nominibus additis, si illi quos Episcopus designaverat,
" Archiepiscopo idonei minime videantur. Post ac-
" ceptas Archiepiscopi litteras omnes Episcopi ad S. C.
" sine mora scribent suas sententias, et suffragia de
" tribus illis, vel sex commendatis expondituri.

" Vacante vero Sede Metropolitana, litteræ Archie-
" piscopi demortui nomina trium sacerdotum designantes
" a Vicario Generali ad Episcopum propinquiorem, et
" ad suffraganeum Episcopum seniorem mittendæ sunt.
" Episcopus autem senior suffraganeus faciet ea omnia
" quæ de Archiepiscopo superius statuta sunt, ubi agitur
" de Episcopi electione.

" Quod si apud Episcopum, vel Archiepiscopum de-
" mortuum litteræ memoratæ de trium sacerdotum
" designatione non reperiantur, Vicarius Generalis
" Episcopum proproquiorem vel seniorem ex duobus
" propinquioribus de ea re certiorem statim faciet, ut
" Episcopus propinquior tria designet sacerdotum no-
" mina in epistola ad Archiepiscopum mittenda. Ar-
" chiepiscopus ea accepta ad omnes Episcopos scribet,
" et ea omnia fient quæ jam indicata sunt circa agendi
" rationem tenendam ubi litteræ Episcopi, aut Archie-
" piscopi sacerdotum nomina ante mortem designantis
" fuerint repertæ. Si Episcopus propinquior ad Archie-
" piscopum scribere neglexerit, Archiepiscopus ipse tria
" nomina sacerdotum suffraganeis omnibus propinquiori
" non excepto, designabit. Si agatur de Archiepiscopi
" electione senior Episcopus suffraganeus faciet omnia,
" quæ in Episcopi electione, ab Archiepiscopo facienda
" esse decretum est.

" Quod pertinet ad electionem coadjutorum excepto
" casu quo Sedes Apostolica alia ratione agendum esse
" statuerit, Episcopus, qui coadjutorem petit, nomina

" trium sacerdotum Archiepiscopo, et Episcopis suffra-
" ganeis significabit, supplicem libellum de ea re ad S. C.
" mittet, et Archiepiscopus atque Episcopi S. Congre-
" gationi mentem suam de coadjutore eligendo commu-
" nicabunt. Hæc sunt quæ in commendandis Sedi
" Apostolicæ sacerdotibus pro Fœderatæ Americæ Epi-
" scoporum electione S. C. servanda præscripsit. Ea
" vero decernens notum omnibus esse voluit in litteris
" de hac pertractantibus ad S. Sedem transmittendis
" nihil inveniri debere, quod electionem, nominationem,
" postulationem innuat, sed proprie dictam commenda-
" tionem, ita ut etiam ex litterarum forma pateat nullam
" in S. Sedem inferri obligationem eligendi aliquem ex
" commendatis : salva enim manere debet et illæsa Sedis
" Apostolicæ libertas in eligendis Episcopis, commen-
" dationes vero lumen tantum, et cognitionem S. Con-
" gregationi, non autem obligationem afferent."

Datum Romæ ex ædibus S. Congregationis de Propaganda Fide die 14 junii 1834.

Huic autem decreto Emi ac Rmi Patres S. hujus Congregationis in conventu generali habito die 10 augusti 1850, et aliud addendum censuerunt sequentis tenoris.

" Sacra Congregatio de Propaganda Fide die 14 junii
" anno 1834 decretum edidit, quod incipit : *Cum ad*
" *religionis incrementum*, inscribitur vero : *De methodo*
" *servanda in Episcoporum diœcesium Fœderatarum*
" *Americæ Septentrionalis Provinciarum electione.* Cum
" vero deinde Deo favente diœcesium numero per illam
" regionem aucto, ecclesias quæ antea uni metropolitæ
" suberant, inter plures partiri necesse fuerit ; aliquid
" supradicto decreto seu instructioni addendum visum
" est, ut commendatio sacerdotum pro vacantibus ec-

" clesiis ea ratione fiat, quæ cum nova illarum parti-
" tione, ac provinciarum statu cohæreat. Proinde S.
" C. in Generali Conventu die 10 mensis junii anni
" hujus habito, referente infrascripto ejusdem Præfecto,
" omnibus mature perpensis, ratione quoque voti habita
" ea de re ab Episcopis exhibiti ex Concilio VII Balti-
" morensi; decrevit ut in posterum servatis quoad reli-
" qua iis quæ in supradicto decreto continentur, Ar-
" chiepiscopus provinciæ ad quam pertinet ecclesia de
" novo pastore providenda, commendationem sacer-
" dotum qui proponuntur ad cæteros Archiepiscopos
" transmittat qui S. Sedi suam sententiam de sacerdo-
" tibus sic commendatis aperiant."

Datum etc.

Mense tamen augusti anni 1856 idem Sacrum Concilium provinciis ecclesiasticis Baltimorensi, S. Ludovici, Neo-Aurelianensi ac Cincinnatensi indulsit ut de commendandis candidatis pro sedibus vacantibus agatur in cœtibus Episcoporum comprovincialium, addita tantum obligatione scribendi ad metropolitanum vel Episcopum non comprovincialem quum res sit de candidatis a provincia extraneis. In comitiis vero generalibus diei 7 augusti 1859, et illud decretum fuit, ut cum novus Archiepiscopus vel Archiepiscopi coadjutor eligendus sit, omnes circa ejusmodi electionem Fœderatorum Statuum metropolitani consulantur.

Porro et si ejusmodi normas opportunissimas esse ac religiose ab Episcopis Fœderatorum Statuum in praxim deductas fuisse constaret, nihilominus cum hinc adjuncta Sept. Americæ graviora quotidie efficerentur, sedulioremque pastorum ecclesiæ vigilantiam exquirerent, inde vero quæ humana sunt mutari semper in

melius valeant ac perfici ulterius, propterea Emi ac Rmi Patres S. Congregationis de Prop. Fide et alia quædam supradictis decretis addi opportune posse censuerunt, ex quibus sacerdotum ad Episcopatum in iis regionibus promotiones, quantum humana fragilitas patitur, omni prorsus exceptione majores ac sub quolibet respectu optimæ obtineantur.

Quamobrem factum est ut Sacra hæc Congregatio datis sub die 25 maii anni 1854 litteris ad omnes Fœderatorum Statuum Archiepiscopos, ab eisdem petierit, ut quæcumque in sua sententia prodesse possent ad perficiendam hactenus vigentem in America Sept. rationem eligendi sacrorum Antistites, ea diligenter atque ingenue patefacerent.

Quandoquidem vero omnes ad unum memorati Archiepiscopi, prout singulis in Domino visum fuerat, responderint, Emi ac Rmi Patres prælaudatæ S. Congregationis in generalibus comitiis habitis die 21 jan. hujus anni diligens responsionum examen instituerunt, pluraque in eis sapienter dicta atque ad intentum finem non parum utilia invenerunt. Quibus omnibus mature perpensis, censuerunt quidem haud recedendum esse a decretis supra relatis dierum 14 junii 1834, nec non 10 aug. 1850 ac posterioribus declarationibus, quibus vigens per Americam electionum systema innititur; verum illis quæ sequuntur adjicienda putarunt, atque ab omnibus ad quos spectat S. Sedi proponere viros ecclesiasticos pro vacantibus diœcesibus Fœderatorum Statuum, stricte servanda mandarunt.

1. Omnes ac singuli Fœderatorum Statuum Antistites tertio quoque anno tum Metropolitano provinciæ suæ, tum S. Congregationi de Propaganda Fide nomina sacerdotum exhibebunt, quos dignos atque idoneos ad

munus episcopale obeundum existimaverint. Id vero secretissime præstabunt, ne forte cujuspiam ambitio excitetur.

2. In notulis ejusmodi conficiendis maxima pro viribus utentur cura, ut de qualitatibus eorum qui commendantur, certiores fiant.

3. Quum aliqua sedes vacaverit sive Episcopalis sive Metropolitana, Antistites omnes ad quos pertinebit Summo Pontifici commendare viros ecclesiasticos, ut eorum unus vacanti ecclesiæ præponatur, in Synodum aut in specialem cœtum convenient, ut proponendorum qualitates discutiant ad tramitem Quæstionum quæ hanc in rem typis impressæ præsentibus litteris apponuntur.

4. Antequam vero prædictus conventus convocetur, ad Archiepiscopum vel seniorem provinciæ Episcopum eorum nomina transmittentur, quos singuli Antistites commendandos esse putaverint.

5. Qualitates candidatorum publice in cœtu Episcoporum discutientur, præsidente Archiepiscopo vel seniore provinciæ Antistite: suffragia vero secreto in urnam immittentur.

6. Acta denique conventus ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide ab Archiepiscopo vel Episcopo provinciæ seniore deferentur.

Hæc Tibi per me significanda erant ex mente S. Congregationis, quorum executio Archiepiscopis pro sua respective provincia peculiariter commendatur. Verum cum a præsulum electione maxime pendeat animarum salus, cumque propterea quicumque in illa quomodolibet partem habent supremo pastorum principi Christo Jesu districtam sint rationem reddituri, spero equidem fore, ut omnia ac singula, quæ in re tanti momenti ab

Apostolica Sede Septentrionalis Americæ Episcopis injunguntur, eadem in Domino adamussim servare studeas. Deum vero precor ut Te diutissime sospitet.

Datum Romæ ex ædibus S. Congregationis de Propaganda Fide die 21 januarii 1861.

NOTIONES AC QÆTIONES

Circa qualitates quæ necessariæ sunt in promovendis ad Episcopale munus ac dignitatem.

1. Nomen, cognomen, ætas, patria candidati.
2. Cujus diœcesis sit ac provinciæ ecclesiasticæ ?
3. Ubinam studiis theologicis vacaverit : et quo profectu ?
4. An gradus assecutus fuerit, et quos ?
5. An professor exstiterit, et cujus facultatis ?
6. An et ubi missiones sacras obiverit, et quam in eis experientiam obtinuerit ?
7. Quot linguas calleat, et quas ?
8. Quibus officiis sit perfunctus, et quo successu ?
9. Quam prudentiam exhibuerit in deliberationibus, et agendi ratione ?
10. An sit corpore sanus ; frugi, patiens, atque in administratione rerum temporalium versatus ?
11. Utrum sit propositi tenax, an ingenio mutabili ?
12. Num gaudeat fama honestatis, et an fuerit unquam in eo quid contra mores ?
13. An in exercendis sacerdotalibus muniis sit attentus, compositus cum ædificatione, rubricarum studiosus observator ?
14. An habitu, gestu, incessu, sermone aliisque omnibus gravitatem ac religionem præ se ferat ?

ALLOCUTIO SS. D. N. PII PAPÆ IX

IN CONSISTORIO 9 DECEMBRIS 1854 HABITA

Venerabiles Fratres,

Singulari quadam perfusi lætitia exultamus in Domino, Venerabiles Fratres, cum Vos hodierno die lateri Nostro frequentes adstare videamus, quos Nostrum gaudium et coronam jure possumus nuncupare. Vos enim pars estis eorum, quibuscum communicamus labores et curas in pascendo humilitati Nostræ concredito dominico grege universo, in tutandis juribus catholicæ religionis, eique novis adjungendis sectatoribus, qui justitiæ et veritatis Deum in sinceritate fidei colant, et venerentur. Itaque quod olim Christus Dominus dixit Apostolorum Principi " tu aliquando conversus confirma fratres tuos " id ipsum Nobis, qui in ejus locum licet immerentes divina benignitate suffecti sumus, hac oblata opportunitate præstandum videtur, ut Vobis nimirum, Venerabiles Fratres, verba faciamus, non ut Vos aut commoneamus officii, aut languentes excitemus, quos inflammatos studio novimus divini Nominis gloriæ propagandæ, sed ut tamquam voce ipsa Beatissimi Petri, qui vivit, vivetque in Successoribus suis recreati, atque erecti novo veluti robore muniamini ad quærendam commissarum ovium salutem, ad Ecclesiæ causam in tanta asperitate temporum animose ac fortiter sustinendam.

Neque vero deliberandum fuit, cujus potissimum adhibeamus patrocinium apud cælestem patrem luminum, ut eo adjuvante alloqui Vos fructuose possimus; siquidem cum ea de causa apud Nos conveneritis, ut conspirantibus animis studia, curasque conferremus amplificando honori augustæ Genitricis Dei Mariæ, sanctissimam ipsam

Virginem, sapientiæ sedem ab Ecclesia nuncupatam, iteratis precibus obsecravimus, ut impetrare Nobis radium velit sapientiæ cælestis, qua collustrati ea Vobis loquamur, quæ et incolumitati et prosperitati Ecclesiæ Dei maximopere sint profutura. Jam vero ex hac tamquam arce religionis intuentibus Nobis errorum monstra, quæ per catholicum orbem hac difficillima ætate grassantur, nihil opportunius visum est quam illa Vobis indicare, ut ad eadem debellanda vires exeratis vestras, Venerabiles Fratres, qui custodes præpositi estis, et speculatores domui Israel.

Existere etiam nunc dolendum est impium incredulorum genus, qui omnem si fieri posset exterminatum vellent religionis cultum, eisque adnumerandi imprimis sunt clandestinarum societatum gregales, qui nefario inter se fœdere conjuncti nullas non adhibent artes, ut quibusque violatis juribus rem et sacram et publicam perturbent, evertant; in quos profecto verba illa cadunt divini Reparatoris "vos ex patre diabolo estis, et opera patris vestri vultis facere." Hos si excipiamus, fatendum est præsentis ætatis homines generatim abhorrere ab incredulorum pravitate, et inclinationem quamdam animorum ostendere erga religionem et fidem. Sive enim facinorum ob atrocitatem, quæ superiori præsertim sæculo perpetrata incredulis tribuenda sunt, quæque animus meminisse reformidat, sive ob metum seditionum ac tumultuum, qui miserandum in modum convellunt, affligtant nationes et regna, sive denique divini Spiritus opera, qui spirat ubi vult, imminutum esse patet perditorum numerum, qui incredulitate se jactent et glorientur; contra vero commendari audimus interdum vitæ ac morum honestatem, excitatumque præterea novimus in animis hominum admirationis sensum catholicam

erga religionem, quæ quidem in omnium incurrit oculos tamquam lux solis.

Non exiguum hoc est bonum, Venerabiles Frates, et quidam quasi ad veritatem progressus, sed tamen multa adhuc sunt, quæ a veritate plane assequenda absterrent homines et remorantur.

Sunt enimvero plerique, qui rebus publicis tractandis præpositi fautores se religionis, et adsertores dicant, illam laudibus attollant, humanæque societati quam maxime accommodatam atque utilem prædicent ; nihilominus ejus moderari disciplinam volunt, sacros ministros regere, sacrorum precurationem attingere, uno verbo, civilis intra status limites coercere nituntur Ecclesiam, eique dominari, quæ tamen sui juris est, divinoque consilio nullius imperii terminis contineri debet, sed ad ultimas terras propagari, omnesque complecti gentes et nationes, ut sempiternæ illis beatitatis iter designet expediat. Et proh dolor ! Dum hæc loquimur, Venerabiles Fratres, in Subalpina ditione proposita lex est, qua regularia et ecclesiastica instituta de medio tolluntur, et Ecclesiæ jura plane conculcantur, atque, si fieri potest, delentur. Sed tamen de re tam gravi hoc ipso in loco alias agemus. Utinam vero qui libertati obsistunt catholicæ religionis agnoscant aliquando quantopere publicae rei bono ipsa conducat, quæ sua cuique civium observanda proponit, et inculcat officia ex cælesti quam accepit doctrina ; utinam persuadere sibi tandem velint quod olim Zenoni imperatori scribebat sanctus Felix Præcessor Noster " nihil esse utilius Principibus, quam " sinere Ecclesiam uti legibus suis, hoc enim illis esse " salutare, ut cum de causis Dei agitur, regiam volun- " tatem sacerdotibus Christi studeant subdere, non " præferre."

Sunt præterea, Venerabiles Fratres, viri quidam eruditione præstantes qui religionem munus esse fatentur longe præstantissimum a Deo hominibus datum, humanam nihilominus rationem tanto habent in pretio, tantopere extollunt, ut vel ipsi religioni æquiparandam stultissime putent. Hinc ex vana ipsorum opinione theologicæ disciplinæ perinde ac philosophicæ tractandæ sunt; cum tamen illæ fidei dogmatibus innitantur, quibus nihil firmius, nihil stabilius, istæ vero humana explicentur atque illustrentur ratione, qua nihil incertius, utpote quæ varia est pro ingeniorum varietate, innumerisque fallaciis et præstigiis obnoxia. Ita quidem rejecta Ecclesiæ auctoritate difficillimis quibusque, reconditisque quæstionibus latissimus patuit campus, ratioque humana infirmis suis confisa viribus licentius excurrens turpissimos in errores lapsa est, quos hic referre nec vacat nec lubet, quippe Vobis probe cognitos atque exploratos, quique in religionis et civilis rei detrimentum, illudque maximum redundarunt. Quamobrem istis hominibus, qui plus æquo vires efferunt humanæ rationis ostendere oportet, plane id esse contrarium verissimæ illi sententiæ Doctoris gentium " si quis putet se aliquid esse, cum hihil sit, ipse se seducit." Demonstrandum illis est quantæ sit arrogantiæ pervestigare mysteria, quæ revelare nobis dignatus est clementissimus Deus, eademque assequi, complectique audere humanæ mentis imbecillitate et angustiis, cum longissime ea vires excedant nostri intellectus, qui ex Apostoli ejusdem dicto captivandus est in obsequium fidei.

Atque hujusmodi humanæ rationis sectatores, seu cultores potius, qui eam sibi certam veluti magistram proponunt, ejusque ductu fausta sibi omnia pollicentur, obliti certe sunt quam grave et acerbum ex culpa primi

parentis inflictum sit vulnus humanæ naturæ, quippe quod et obfusæ tenebræ menti, et prona effecta ad malum voluntas. Hinc celeberrimi ex antiquissima ætate philosophi quamvis multa præclare scripserint, doctrinas tamen suas gravissimis erroribus contaminarunt; hinc assiduum illud certamen quod in nobis experimur, de quo loquitur Apostolus "sentio in membris meis legem repugnantem legi mentis meæ." Nunc quando ex originis labe in universos Adami posteros propagata extenuatum esse constet rationis lumen, et ex pristino justitiæ atque innocentiæ statu miserrime deciderit humanum genus, ecquis satis esse rationem ducat ad assequendam veritam? ecquis in tantis periculis, atque in tanta virium infirmitate ne labatur et corruat necessaria sibi neget ad salutem religionis divinæ, et gratiæ cælestis auxilia? quæ quidem auxilia benignissime iis largitur Deus, qui humili prece eadem flagitent, cum scriptum sit "Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam." Idcirco conversus olim ad Patrem Christus Dominus altissima veritatum arcana patefacta haud esse affirmavit prudentibus et sapientibus hujus sæculi, qui ingenio doctrinaque sua superbiunt, et præstare negant obsequium fidei, sed vero humilibus ac simplicibus hominibus, qui fidei divinæ oraculo nituntur et conquiescunt. Salutare hoc documentum eorum animis inculcetis oportet, qui humanæ rationis vim usque adeo exaggerant, illius ut ope mysteria ipsa scrutari audeant atque explicare, quo nihil ineptius, nihil insanius. Revocare illos contendite a tanta mentis perversitate exponentes nimirum nihil esse præstabilius a providentia Dei concessum hominibus, quam fidei divinæ auctoritatem, hanc nobis esse quasi facem in tenebris, hanc ducem quam sequamur ad vitam, hanc necessariam

prorsus esse ad salutem, utpote quod "sine fide impossibile est placere Deo, et qui non crediderit condemnabitur."

Errorem alterum nec minus exitiosum aliquas catholici orbis partes occupasse non sine mœrore novimus, animisque insedisse plerumque catholicorum, qui bene sperandum de æterna illorum omnium salute putant, qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versantur. Idcirco percontari sæpenumero solent, quænam futura post obitum sit eorum sors, et conditio, qui catholicæ fidei minime addicti sunt, vanissimisque adductis rationibus responsum præstolentur, quod pravæ huic sententiæ suffragetur. Absit, Venerabiles Fratres, ut misericordiæ divinæ, quæ infinita est, terminos audeamus apponere ; absit ut perscrutari velimus arcana consilia et judicia Dei, quæ sunt abyssus multa, nec humana queunt cogitatione penetrari. Quod vero Apostolici Nostri muneris est, Episcopalem vestram et sollicitudinem et vigilantiam excitatam volumus, ut quantum potestis contendere, opinionem illam impiam æque ac funestam ab hominum mente propulsetis, nimirum quavis in religione reperiri posse æternæ salutis viam. Ea qua præstatis solertia ac doctrina demonstretis commissis curæ vestræ populis miserationi ac justitiæ divinæ dogmata catholicæ fidei neutiquam adversari. Tenendum quippe ex fide est extra Apostolicam Romanam Ecclesiam salvum fieri neminem posse, hanc esse unicam salutis arcam, hanc qui non fuerit ingressus, diluvio periturum ; sed tamen pro certo pariter habendum est, qui veræ religionis ignorantia laborent, si ea sit invincibilis, nulla ipsos obstringi hujusce rei culpa ante oculos Domini. Nunc vero quis tantum sibi arroget, ut hujusmodi ignorantiæ designare limites queat juxta

populorum, regionum, ingeniorum, aliarumque rerum tam multarum rationem et varietatem ? Enimvero cum soluti corporeis hisce vinculis videbimus Deum sicuti est, intelligemus profecto quam arcto pulchroque nexu miseratio ac justitia divina copulentur ; quamdiu vero in terris versamur mortali hac gravati mole quæ hebetat animam, firmissime teneamus ex catholica doctrina unum Deum esse, unam fidem, unum baptisma ; ulterius inquirendo progredi nefas est. Cæterum prout charitatis ratio postulat assiduas fundamus preces, ut omnes quaquaversus gentes ad Christum convertantur, communique hominum saluti pro viribus inserviamus, neque enim abbreviata est manus Domini, gratiæque cælestis dona nequaquam illis defutura sunt, qui hac luce recreari sincero animo velint et postulent. Hujusmodi veritates defigendæ altissime sunt fidelium mentibus ne falsis corrumpi queant doctrinis eo spectantibus ut religionis foveant indifferentiam, quam ad exitium animarum serpere latius videmus ac roborari.

Præcipuos contra errores hactenus expositos, quibus maxime hoc tempore oppugnatur Ecclesia, vestram opponite, Venerabiles Fratres, et virtutem et constantiam, ad eosque profligandos, planeque delendos, habeatis ecclesiasticos viros necesse est laboris socios et adjutores. Immortaliter quidem gaudemus catholicum clerum nihil prætermittere, nihil molestiarum defugere, ut officio suo ac muneri cumulate satisfaciat ; atque adeo non asperitate et longitudine itineris, non ullo incommodorum metu retardari quominus regiones pertingat terrarum marisque tractu disjunctissimas, ut efferatas ibi gentes ad humanitatem, et christianæ legis disciplinam salubriter instituat ; gaudemus pariter clerum ipsum in teterrimæ luis calamitate, quæ tot oppida, tot frequen-

tissimas urbes funestavit adeo alacriter obivisse quælibet charitatis officia, ut vitam profundere ad salutem proximorum pulchrum sibi ac decorum existimaverit. Quo sane argumento magis constabit, catholica in Ecclesia, quæ unice vera est, inextinctum ardere pulcherrimum charitatis ignem, quem Christus venit mittere in terram ut accendatur. Vidimus enim religiosas mulieres in adjutandis ægris cum clero certasse, neque mortis adspectu fuisse deterritas, quam pleræque constantissime oppetiverunt : cujus inusitatæ fortitudinis exemplo illi ipsi obstupefacti admiratione sunt, qui a catholica fide dissentiunt.

Est hoc Nobis jure lætandum, Venerabiles Fratres, verumtamen illud ad animi Nostri curam grave et acerbum, quibusdam in locis non deesse ex clero aliquos, qui non semet exhibeant in omnibus ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. Hinc deest christiano populo divini verbi pabulum, unde nutriatur ad vitam, hinc infrequens sacramentorum usus quibus tanta vis inest ad Dei gratiam vel conciliandam vel retinendam. Monendi hi quidem sunt, Venerabiles Fratres, ac vehementius excitandi, ut sacri ministerii partes recte ac fideliter explendas curent ; docendi sunt quam gravi se culpa obstringant, qui messis multa cum sit laborare detrectent in agro Domini. Hortandi sunt, ut quanta sit divinæ hostiæ virtus ad propitiandum Deum, et flagitiorum pœnas avertendas frequenter explicent fidelibus, ut iidem salutari missæ sacrificio religiose adesse, uberesque ex illo fructus percipere studeant. Sane quidem promptiores alicubi fideles essent ad pietatis actus exercendos, si vehementiora haberent a clero et incitamenta et præsidia. Videtis hinc, Venerabiles Fratres, ad comparandos idoneos ministros Christi quan-

ta sit Seminariorum necessitas et opportunitas; in quibus moderandis non civilis potestatis, sed Episcoporum dumtaxat versari debet cura et industria. Collectos ibi juvenes in spem religionis succrescentes ad pietatem doctrinamque sedulo informetis, ut duplici quasi instructi gladio boni olim milites esse queant ad prælianda prælia Domini. Tum in theologicis, tum vero in philosophicis etiam disciplinis probatæ fidei scriptores eisdem proponatis, ne qua imbuantur opinione catholicæ doctrinæ minus consentanea.

Ita quidem Ecclesiæ bono et incremento consultum per Vos erit, Venerabiles Fratres. Quo vero susceptæ pro Ecclesia curæ secundissimos habeant exitus summa extet concordia opus est consensusque animorum, longeque dissidia quælibet prohibeantur, quæ solvunt charitatis vinculum, quæque fovere solet vaferrimus nostri generis inimicus utpote sibi ad nocendum opportunissima. Repetendum memoria est veteres illos catholicæ fidei propugnatores de pertinacissimis hæresibus retulisse victoriam, quum scilicet una secum, et cum Apostolica Sede tamquam cum duce suo conjuncti milites firmo erectoque in certamen descendissent.

Hæc sunt, quæ significanda Vobis duximus, Venerabiles Fratres, in hac cura et sollicitudine satis Apostolico ministerio faciendi, quod divina clementia et bonitate impositum est infirmitati Nostræ. Erigimur primum, ac recreamur spe cælestis auxilii, deinde ab explorato vestro religionis ac pietatis studio non mediocre Nobis pollicemur in tantis rerum difficultatibus adjumentum. Aderit Ecclesiæ suæ Deus, aderit communibus votis Nostris, aderit præsertim si oratrix pro nobis accedat Virgo Sanctissima Dei parens Maria, cujus immunitatem ab originalis noxæ macula Vobis magno cum Nostro

gaudio adstantibus et plaudentibus divino adjuvante Spiritu pronunciavimus. Eximium sane privilegium, quod Dei Matrem plane decebat, in communi nostri generis exitio sospitem atque incolumem evasisse. Atque hujus privilegii amplitudo plurimum quidem valitura est ad eos refellendos, qui deteriorem factam esse inficiantur ex primæva culpa hominum naturam, viresque amplificant rationis ad negandum vel minuendum revelatæ religionis beneficium. Faxit tandem Virgo Beatissima, quæ interemit ac perdidit universas hæreses, ut hic etiam evellatur stirpitus, ac deleatur rationalismi error perniciosissimus, qui hac miserrima ætate non civilem modo societatem, sed vero etiam tantopere affligit et vexat Ecclesiam.

Reliquum nunc est, Venerabiles Fratres, ut quanto animi Nostri solatio summa Vos alacritate ex dissitis etiam terris properasse conspeximus ad Apostolicam hanc Sedem propugnaculum fidei, magistram veritatis, catholicæ unitatis firmamentum, tanto perinde amoris studio antequam sedes repetatis vestras omnia Vobis precemur fausta felicia ac salutaria. Arbiter ille omnium rerum et bonorum auctor Deus det Vobis spiritum sapientiæ et intellectus, ut prohibeatis ab ovium pernicie ubique latentes insidias, ac quidquid ad commoditatem vestrarum Ecclesiarum vel suscepistis jam, vel eritis suscepturi, id præpotenti numine suo bonus propitiusque confirmet; permissis autem vestræ curæ fidelibus det illam mentem, ut abstrahere se nunquam velint a pastoris latere, sed vocem ipsius audiant, quoque ipse velit, accurrant. Adsit Vobis Virgo Sanctissima ab origine Immaculata; sit ipsa Vobis in dubiis rebus fidele consilium, in angustiis levamen, in adversis auxilium. Ad extremum levantes manus Nostras in cœlum

Vobis gregique vestro ex intimo cordis affectu benedicimus. Sit porro Apostolicæ hujus benedictionis munus tamquam pignus certissimum charitatis erga Vos Nostræ, sit exploratissimum tamquam omen beatissimæ vitæ ac sempiternæ, quam Vobis gregique vestro et optamus et poscimus a supremo animarum pastore Christo Jesu, cui cum Patre et Sancto Spiritu sit et honor et laus et gratiarum actio per omnem æternitatem.

ALLOCUTIO SS. D. N. PII PAPÆ IX

IN CONSISTORIO 9 JUNII 1862 HABITA.

Venerabiles Frates,

Maxima quidem lætitia affecti fuimus, Venerabiles Fratres, cum Sanctorum honores et cultum, Deo bene juvante, septem et viginti invictissimis divinæ nostræ religionis heroibus hesterno die decernere potuerimus, Vobis lateri Nostro adstantibus, qui egregia pietate ac virtute præditi, et in sollicitudinis Nostrae partem vocati in hac tanta temporum asperitate strenue dimicantes pro Domo Israel sumo Nobis solatio et consolationi estis. Utinam vero dum hujusmodi perfundimur gaudio, nulla mœroris, lucusque causa Nos aliunde contristaret. Non possumus enim non vehementer dolere et angi, cum videamus tristissima et nunquam satis deploranda mala ac damna, quibus cum permagno animarum detrimento catholica nunc Ecclesia, et ipsa civilis societas miserandum in modum premitur ac divexatur. Optime enim noscitis, Venerabiles Fratres, teterrimum sane bellum contra rem catholicam universam ab iis hominibus conflatum, qui inimici crucis

Christi sanam non sustinentes doctrinam, ac nefaria inter se societate conjuncti quæcumque ignorant, blasphemant, ac pravis cujusque generis artibus sanctissimæ nostræ religionis, et humanæ societatis fundamenta labefactare, imo, si fieri unquam posset, penitus evertere, omniumque animos mentesque perniciosissimi quibusque erroribus imbuere, corrumpere et a catholica religione avellere moliuntur. Nimirum callidissimi isti fraudum artifices, et fabricatores mendacii non cessant monstrosa quæque veterum errorum portenta jam sapientissimis scriptis toties profligata ac depulsa, gravissimoque Ecclesiæ indicio damnata e tenebris excitare, eaque novis, variis ac fallacissimis formis verbisque expressa exaggerare, et modis omnibus usquequaque disseminare. Hac funestissima ac diabolica prorsus arte rerum omnium scientiam contaminant, deturpant, mortiferum ad animarum perniciem virus diffundunt, effrenatam vivendi licentiam, et pravas quasque cupiditates fovent, religiosum ac socialem ordinem invertunt, et omnem justitiæ, veritatis juris, honestatis et religionis ideam extinguere conantur, et sanctissima Christi dogmata, doctrinam irrident, contemnunt, oppugnant. Horret quidem refugitque animus, ac reformidat vel leviter attingere præcipuos tantum pestiferosque errores, quibus hujusmodi homines miserrimis hisce temporibus divina et humana cuncta permiscent.

Nemo Vestrum ignorat, Venerabiles Fratres, ab hujusmodi hominibus plane destrui necessariam illam cohærentiam, quæ Dei voluntate intercedit inter utrumque ordinem, qui tum in natura, tum supra naturam est, itemque ab ipsis omnino immutari, subverti, deleri proprium, veram germanamque divinæ revelationis indolem, auctoritatem, Ecclesiæque constitutionem et potestatem.

Atque eo opinandi temeritate progrediuntur, ut omnem veritatem, omnemque legem, potestatem et jus divinæ originis audacissime denegare non metuant. Siquidem haud erubescunt asserere, philosophicarum rerum, morumque scientiam, itemque civiles leges posse et debere a divina revelatione, et Ecclesiæ auctoritate declinare, et Ecclesiam non esse veram perfectamque societatem plane liberam, nec pollere suis propriis et constantibus juribus sibi a divino suo Fundatore collatis, sed civilis potestatis esse definire, quæ sint Ecclesiæ jura et limites intra quos eadem jura exercere queat. Hinc perverse comminiscuntur, civilem potestatem posse se immiscere rebus, quæ ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent, atque etiam impedire, quominus Sacrorum Antistites et fideles populi cum Romano Pontifice supremo totius Ecclesiæ pastore divinitus constituto libere ac mutuo communicent, ut plane dissolvatur necessaria et arctissima illa conjunctio, quæ inter membra mystici corporis Christi, et adspectabile suum caput ex divina ipsius Christi Domini institutione esse omnino debet. Nihil vero timent omni fallacia ac dolo in vulgus proferre, sacros Ecclesiæ ministros, Romanumque Pontificem ab omni rerum temporalium jure ac dominio esse omnino excludendos.

Summa præterea impudentia asserere non dubitant, divinam revelationem non solum nihil prodesse, verum etiam nocere hominis perfectioni, ipsamque divinam revelationem esse imperfectam, et idcirco subjectam *continuo* et *indefinito* progressui, qui humanæ rationis progressioni respondeat. Nec verentur proinde jactare, prophetias et miracula in sacris litteris exposita et narrata esse poetarum commenta, et sacrosancta divinæ fidei nostræ mysteria philosophicarum investigationum

summam, ac divinis utriusque testamenti libris mythica contineri inventa, et ipsum Dominum Nostrum Jesum Christum, horribile dictu! mythicam esse fictionem. Quare hi turbulentissimi perversorum dogmatum cultores blaterant, morum leges divina haud egere sanctione, et minime opus esse, ut humanæ leges ad naturæ jus conformentur, aut obligandi vim a Deo accipiant, ac propterea asserunt, nullam divinam existere legem. Insuper inficiari audent omnem Dei in homines mundumque actionem, ac temere affirmant, humanam rationem, nullo prorsus Dei respectu habito, unicum esse veri et falsi, boni et mali arbitrum, eamdemque humanam rationem sibi ipsi esse legem, ac naturalibus suis viribus ad hominum ac populorum bonum curandum sufficere. Cum autem omnes religionis veritates ex nativa humanæ rationis vi perverse derivare audeant, tum cuique homini quoddam veluti primarium jus tribuunt, ex quo possit libere de religione cogitare et loqui, eumque Deo honorem et cultum exhibere, quem pro suo libito meliorem existimat.

At vero eo impietatis et impudentiæ deveniunt, ut cœlum petere, ac Deum ipsum de medio tollere conentur. Insigni enim improbitate ac pari stultitia haud timent asserere, nullum supremum sapientissimum providentissimumque Numen divinum existere ab hac rerum universitate distinctum, ac Deum idem esse ac rerum naturam, et iccirco immutationibus obnoxium, Deumque reapse fieri in homine et mundo, atque omnia Deum esse, et ipsissimam Dei habere substantiam, ac unam eamdemque rem esse Deum cum mundo, ac proinde spiritum cum materia, necessitatem cum libertate, verum cum falso, bonum cum malo, et justum cum injusto. Quo certe nihil dementius, nihil magis impium, nihil

contra ipsam rationem magis repugnans fingi et excogitari unquam potest. De auctoritate autem et jure ita temere effutiunt, ut impudenter dicant, auctoritatem nihil aliud esse, nisi numeri, et materialium virium summam, ac jus in materiali facto consistere, et omnia hominum officia esse nomen inane, et omnia humana facta juris vim habere.

Jam porro commenta commentis, deliramenta deliramentis cumulantes, et omnem legitimam auctoritatem, atque omnia legitima jura, obligationes, officia conculcantes nihil dubitant in veri legitimique juris locum substituere falsa ac mentita virium jura, ac morum ordinem rerum materialium ordini subjicere. Neque alias vires agnoscunt, nisi illas, quæ in materia positæ sunt, et omnem morum disciplinam honestatemque collocant in cumulandis et augendis quovis modo divitiis, et in pravis quibusque voluptatibus explendis. Atque hisce nefariis abominandisque principiis reprobum carnis spiritui rebellis sensum tuentur, fovent, extollunt, illique naturales dotes ac jura tribuunt, quæ per catholicam doctrinam conculcari dicunt, omnino despicientes monitum Apostoli clamantis "si secundum "carnem vixeritis, moriemini, si autem spiritu facta "carnis mortificaveritis, vivetis." Omnia præterea legitimæ cujusque proprietatis jura invadere, destruere contendunt, ac perperam animo et cogitatione confingunt et imaginantur jus quoddam *nullis circumscriptum limitibus*, quo reipublicæ statum pollere existimant, quem omnium jurium originem et fontem esse temere arbitrantur.

Dum vero hos præcipuos infelicissimæ nostræ ætatis errores dolenter ac raptim perstringimus, recensere omittimus, Venerabiles Fratres, tot alias fere innume-

rabiles falsitates et fraudes Vobis apprime notas ac perspectas, quibus Dei hominumque hostes rem tum sacram tum publicam perturbare et convellere connituntur. Ac silentio prætermittimus multiplices gravissimasque injurias, calumnias convicia, quibus sacros Ecclesiæ ministros, et hanc Apostolicam Sedem dilacerare et insectari non desinunt. Nihil loquimur de iniqua sane hypocrisi, qua funestissimæ in Italia præsertim perturbationis ac rebellionis duces et satellites dictitant, se velle, Ecclesiam sua gaudere libertate, dum sacrilego prorsus ausu omnia ipsius Ecclesiæ jura et leges quotidie magis proculcant, ejusque bona diripiunt, et sacrorum antistites, ecclesiasticosque viros suo munere præclare fungentes quoquo modo divexant, et in carcerem detrudunt, et religiosorum ordinum alumnos, ac virgines Deo sacras e suis cænobiis violenter exturbant, suisque propriis bonis spoliant, nihilque intentatum relinquant, ut ipsam Ecclesiam in turpissimam redigant servitutem, et opprimant. Ac dum singularem certo ex optatissima Vestra præsentia voluptatem percipimus, Vos ipsi videtis, quam libertatem nunc habeant Venerabiles Fratres sacrorum in Italia antistites, qui strenue constanterque prælliantes prælia Domini minime potuerunt cum summo animi Nostri dolore, adversantium opera, ad Nos venire, et inter Vos versari, atque huic adesse conventui, quod summopere optavissent, quemadmodum infelicis Italiæ Archiepiscopi et Episcopi suis litteris summi erga Nos, et hanc Sanctam Sedem amoris et obsequii plenissimis significarunt. Neminem etiam ex sacrorum in Lusitania antistitibus hic adesse cernitis, ac non parum dolemus, inspecta difficultatum natura quæ obstiterunt, quominus ipsi romanum iter aggredi possent. Recensere autem omittimus tot alia

sane tristia et horrenda, quæ ab hisce perversarum doctrinarum cultoribus cum incredibili Nostro ac Vestro, et omnium bonorum luctu patrantur. Nihil item dicimus de impia conspiratione, et pravis cujusque generis molitionibus ac fallaciis, quibus civilem hujus Apostolicæ Sedis principatum omnino evertere ac destruere volunt. Juvat potius hac de re commemorare miram prorsus consensionem, qua Vos ipsi una cum aliis Venerabilibus Fratribus universi catholici orbis sacrorum antistitibus nunquam intermisistis et epistolis ad Nos datis, et pastoralibus litteris ad fideles scriptis hujusmodi fallacias detegere, refutare, ac simul docere, hunc civilem Sanctæ Sedis principatum Romano Pontifici fuisse singulari divinæ providentiæ concilio datum, illumque necessarium esse, ut idem Romanus Pontifex nulli unquam principi aut civili potestati subjectus supremam universi Dominici gregis pascendi regendique potestatem auctoritatemque ab ipso Christo Domino divinitus acceptam per universam Ecclesiam plenissima libertate exercere, ac majori ejusdem Ecclesiæ, et fidelium bono, utilitati et indigentiis consulere possit.

Quæ hactenus lamentati sumus, Venerabiles Fratres, luctuosum plane exhibent spectaculum. Quis enim non videt tot pravorum dogmatum iniquitate, ac non nequissimis deliramentis et machinationibus magis in dies christianum populum misere corrumpi, et ad exitium impelli, et catholicam Ecclesiam, ejusque salutarem doctrinam ac veneranda jura et leges, sacrosque ministros oppugnari, et iccirco omnia vitia et scelera invalescere ac propogari, et ipsam civilem societatem exagitari?

Nos itaque Apostolici Nostri ministerii probe memores, ac de spirituali omnium populorum bono et salute Nobis divinitus commissa vel maxime solliciti, cum

"aliter" ut sanctissimi decessoris Nostri Leonis verbis utamur "Nobis commissos regere non possimus, nisi "hos, qui sunt perditores et perditi, zelo fidei Dominicæ "persequamur, et a sanis mentibus, ne pestis hæc latius "divulgetur, severitate, qua possumus, abscindamus," in hoc amplissimo Vestro consessu Apostolicam Nostram attollentes vocem omnes commemoratos præsertim errores non solum catholicæ fidei ac doctrinæ, divinis ecclesiasticisque legibus, verum etiam ipsi sempiternæ ac naturali legi et justitiæ, rectæque rationi omnino repugnantes et summopere adversos reprobamus, proscribimus atque damnamus.

Vos autem, Venerabiles Fratres, qui estis sal terræ, et Dominici gregis custodes, ac pastores, etiam atque etiam excitamus et obtestamur, ut pro eximia Vestra religione et episcopali zelo pergatis, veluti adhuc cum summa Vestri ordinis laude fecistis, omni cura, sedulitate et studio fideles Vobis traditos ab hisce venenatis pascuis arcere, et qua voce, qua opportunis scriptis tot perversarum opinionum monstra refellere et profligare. Optime enim scitis de summa re agi, cum agatur de sanctissimæ fidei nostræ, ac de catholicæ Ecclesiæ ejusque doctrinæ causa, de populorum salute, et humanæ societatis bono ac tranquillitate. Itaque, quantum in Vobis est, ne desinatis unquam a fidelibus avertere tam diræ pestis contagia, id est ab eorum oculis manibusque perniciosos libros et ephemerides eripere, ipsosque fideles sanctissimis augustæ nostræ religionis præceptionibus assidue imbuere et erudire, ac monere et exhortari, ut ab hisce iniquitatis magistris, tamquam a facie colubri effugiant. Pergite Vestras omnes curas cogitationesque in id potissimum conferre, ut clerus sancte scienterque instituatur, omnibusque virtutibus fulgeat, ut utriusque

sexus juventus ad morum honestatem, pietatem, omnemque virtutem sedulo formetur, ut salutaris sit studiorum ratio. Ac diligentissime advigilate et prospicite, ne in humaniores litteras, severioresque disciplinas tradendas aliquid unquam irrepat quod fidei, religioni, bonisque moribus adversetur. Viriliter agite, Venerabiles Fratres, et ne animo unquam concidatis in hac tanta temporum perturbatione et iniquitate, sed divino auxilio omnino freti, ac *sumentes in omnibus scutum inexpugnabile æquitatis et fidei, atque assumentes gladium spiritus, quod est verbum Dei*, ne intermittatis omnium catholicæ Ecclesiæ, et hujus Apostolicæ Sedis hostium conatibus obsistere, eorumque tela retundere et impetus frangere.

Interim vero dies noctesque, sublatis ad cœlum oculis non desistamus, Venerabiles Fratres, clementissimum misericordiarum Patrem, et Deum totius consolationis, qui de tenebris facit lucem splendescere, quique potens est de lapidibus suscitare filios Abrahæ, in humilitate cordis nostri ferventissimis precibus indesinenter orare et obsecrare, ut per merita Unigeniti Filii sui Domini Nostri Jesu Christi velit christianæ et civili reipublicæ auxiliariam porrigere dexteram, omnesque disperdere errores et impietates, ac divinæ suæ gratiæ lumine omnium errantium mentes illustrare, illosque ad se convertere et revocare, quo Ecclesia sua sancta optatissimam assequatur pacem, et ubique terrarum majora in dies incrementa suscipiat, ac prospere vigeat et efflorescat. Ut autem quæ petimus et quærimus facilius consequi possimus, ne cessemus adhibere primum deprecatricem apud Deum Immaculatam Sanctissimamque Deiparam Virginem Mariam, quæ misericordissima, et amantissima nostrum omnium mater cunctas semper interemit hæreses, et cujus nullum apud Deum præsentius patro-

cinium. Petamus quoque suffragia tum sancti ejusdem Virginis sponsi Josephi, tum sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, omniumque cælitum, et illorum præsertim, quos nuper sanctorum fastis adscriptos colimus et veneramur.

Antequam vero dicendi finem faciamus Nobis temperare non possumus, quin iterum testemur et confirmemus, summa Nos uti consolatione, dum jucundissimo Vestrum omnium conspectu fruimur, Venerabiles Fratres, qui tanta fide, pietate et observantia Nobis et huic Petri Cathedræ firmiter obstricti, ac ministerium Vestrum implentes majorem Dei gloriam, et animarum salutem omni studio procurare gloriamini, quique concordissimis animis, atque admirabili sane cura et amore una cum aliis Venerabilibus Fratribus totius catholici orbis Episcopis et fidelibus Vestræ et illorum curæ commissis gravissimas Nostras angustias et acerbitates modis omnibus lenire et sublevare non desinitis. Quocirca hac etiam occasione amantissimi æque ac gratissimi animi Nostri sensus erga Vos, et alios omnes Venerabiles Fratres, et ipsos fideles amplissimis verbis palam publiceque profitemur. A Vobis autem exposcimus, ut cum ad Vestras redieritis diœceses velitis eisdem fidelibus Vestræ vigilantiæ concreditis hos animi Nostri sensus Nostro nomine nuntiare, illosque certiores facere de paterna Nostra in illos charitate, deque Apostolica Benedictione, quam ex intimo corde profectam, et cum omnis veræ felicitatis voto conjunctam Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, et eisdem fidelibus impertire vehementer lætamur.

APPENDIX AD QUARTUM.


SUPPLIQUE DES RELIGIEUSES URSULINES DE QUEBEC, AUX PÈRES DU QUATRIÈME CONCILE.

Vénérables Pères en Dieu,

En qualité de filles de la vénérée Mère Marie Guyart de l'Incarnation, à qui notre Communauté doit tout ce qu'elle est, nous nous sentons pressées de faire aujourd'hui une requête, aussi humble que confiante.

Ayant appris récemment que les pièces relatives à la canonisation de notre vénérée Mère Marie de l'Incarnation, confiées à M. l'abbé Edmond Moreau, de l'évêché de Montréal, avaient été " remises intactes au Secrétaire de la S. C. des Rites," notre Communauté profite de l'heureuse circonstance de la réunion du Concile Provincial, pour solliciter les prières des vénérables Pères du Concile, ainsi que leur bienveillante intervention auprès des autorités, à Rome, pour la plus prompte et favorable issue d'une affaire si chère à nos sœurs, et qui est toute à la gloire de Dieu.

Cette nouvelle faveur nous inspirera d'un nouveau dévouement, et resserrera s'il est possible les liens qui nous attachent à la sainte Eglise et à ses Pasteurs, en particuliers aux dignes Prélats dont nous nous souscrivons, dans les sentiments de la plus profonde vénéra-








IMAGE EVALUATION TEST TARGET (MT-3)







tion, Monseigneur l'Archevêque et Vénérables Pères,
Les très-humbles filles et petites servantes,

Les Religieuses Ursulines de Québec.

Sr. St. Gabriel, *Sup.*
Sr. Ste. Anne, *Assis.*
Sr. St. Jean, *Zél.*

Monastère de Ste. Ursule,
Québec, le 11 mai 1868.

LITTERÆ

SUPPLICES RMORUM PATRUM IV CONCILII QUEBECENSIS AD SS. PIUM PAPAM IX. PRO BEATIFICATIONE ET CANONISATIONE FAMULÆ DEI MARIÆ GUYART IN RELIGIONE *Marie de l'Incarnation*, MONASTERII URSULINARUM QUEBECENSIS FUNDATRICIS.

Beatissime Pater,

Duo fire elapsa sunt sæcula ex guo abiit in Domino Maria Guyart, dicta in religione *Marie de l'Incarnation*, Ursulinarum monasterii in hac civitate Quebecensi erecti prima superiorissa et fundatrix. Quam insignis fuerit tum virtutibus theologicis, tum religiosæ vitæ observantia, historia et constanti traditione compertum est. Ad huc ostenditur arbor sub qua sedens sylvestres puellas fidei rudimenta edocebat ; adhuc in errantibus tribubus remanet traditio tenerrimæ matris, quæ, sanctimonialium prima, olim in hanc regionem tunc sedentem in tenebris et in umbra mortis, vitæ religiosæ inter feminas præclarissimum specimen invexit.

Labentibus annis, nedum sanctitatis ejus et miraculorum fama decreverit, potius augetur de die in diem,

præsertim cum multi ejus invocatione insignia beneficia tum temporalia, tum spiritualia, se impetrasse palam quotidie profiteantur.

De quibus miraculis circa initium currentis anni, auctoritate Ordinarii in hac civitate Quebecensi, confectus est processus in forma, cujus authenticum et sigillatum transumptum, paucis abhinc hebdomadibus Romam allatum est a presbytero ad id specialiter delegato, et Sacræ Rituum Congregationis secretario traditum.

Non ignoramus, Beatissime Pater, a Sancta Sede sapientissime statutum esse ut talis processus non aperiatur nisi post decem annos, et interim nihil fieri posse circa futuram, quam optamus et speramus, beatificationem et canonisationem. Attamen in Concilio provinciali coadunati, ad Paternitatem Vestram summa cum fiducia conversi, non possumus non loqui de ardentissimo desiderio, et nostro et diæcesanorum nostrorum, necnon Ursulinarum omnium in toto orbe catholico diffusarum, mox publice et solemniter invocandi eam cujus nunc privatim, sed efficaciter, opem sæpe imploramus. Quod desiderium, cum ad majorem Dei, qui mirabilis est in sanctis suis, gloriam totum sit, cum omnimoda reverentia Beatitudini Vestræ exponere nobis liceat.

Sanctitatis Vestræ,

Obsequentissimis Filiis.

✠ C.-F., Archiep., Quebecensi.
✠ Ign., Ep., Marianopolitano.
✠ Jos.-Eugenio, Ep., Ottawiensi.
✠ Joan., Ep., Hamiltonensi.
✠ Vitali.-J., Ep. Satalensi procuratori Illmi Alexandri, Ep. S. Banifacii.

✠ E.-J., Ep., Kingstoniensi.
✠ Joanni.-Joseph, Ep., Torantino.
✠ C., Ep., Sti Hyacinthi.
✠ L.-F., Ep., Anthedonensi procuratori Illmi ac Rmi. Ep. Trifluviani.
✠ Joanni, Ep., Sti Germani de Rimouski.
✠ Joanni, Ep., Sandovicensi.

LETTRE DES PÈRES DU QUATRIÈME CONCILE DE QUÉBEC AU CONSEIL CENTRAL DE LA PROPAGATION DE LA FOI, DE PARIS ET DE LYON.

Messieurs,

Nous, Archevêque et Evêques de la Province Ecclésiastique de Québec, réunis en cette ville pour la célébration de notre quatrième Concile Provincial, ne pouvons nous séparer sans exprimer à votre Conseil nos sentiments de vive reconnaissance. C'est en effet, (et nous ne l'oublierons jamais) à la générosité toute chrétienne des associés de l'Œuvre de la Propagation de la Foi, qu'il faut attribuer particulièrement les progrès si rapides et si consolants de notre sainte Religion dans cet immense territoire qui s'étend du golfe St. Laurent aux Montagnes Rocheuses, et de la mer Glaciale au 45 dégré de latitude. Si l'Eglise Catholique y compte à l'heure présente onze diocèses et un Vicariat Apostolique ; si des paroisses nombreuses et des missions florissantes sont disséminées sur une grande partie de ce vaste pays ; si tant d'infidèles ont reçu la bonne nouvelle du salut et l'eau sainte du baptême ; si enfin il est aujourd'hui question de supplier le Saint-Siége de le

diviser en trois provinces ecclésiastiques, l'Œuvre à laquelle vous vous dévouez, messieurs, peut certainement réclamer une large part dans ces heureux et magnifiques résultats. Sans votre aide, sans votre charité, beaucoup de ces missions n'auraient pu ni se fonder, ni se soutenir.

Aussi, soyez-en certains, de chaque temple que vous avez contribué à élever à notre Dieu et commun Père, qu'il se trouve au milieu des forêts de nos cantons, ou dans les plaines de l'Ouest, ou sur les bords de nos immenses lacs et de notre grand fleuve ; partout s'élèvent vers le ciel pour votre bonheur, les prières ferventes de cœurs reconnaissants.

Nous-mêmes, Messieurs, au nom des peuples qui vous sont confiés, nous vous remercions dans toute l'effusion de nos âmes. Bénis soyez-vous, vous et tous vos associés ; bénis soient vos familles ; bénis soient ceux qui vous intéressent, pour tout le bien dont vous avez été jusqu'ici les instruments à leur égard.

Continuez votre œuvre; soutenez ces diocèses naissants que vous aidé à établir, ces missions que vous avez fondées parmi ces nations sauvages qui nous environnent. Combien, dans ces nouveaux diocèses, de maisons de charité et d'éducation à ériger ; d'églises à construire et à orner des objets du culte ; de missionnaires à pourvoir des choses les plus nécessaires à la vie ! mais surtout dans les contrées du Nord-Ouest qui forment les diocèses de St. Boniface et de St. Albert et les Vicariats de la Rivière McKenzie et de la Baie d'Hudson, que de besoins de toutes sortes ! Sans doute, les Révérends Pères Oblats si zélés et si courageux, secondés même par d'héroïque *Sœurs* de la *Charité*, sont encore prêts comme toujours à supporter toutes les fatigues et

toutes les privations pour le salut de ces pauvres sauvages qu'ils évangélisent déjà depuis longtemps avec un dévouement à toute épreuve : ce sont leurs enfants, ils les ont engendrés à la Foi : rien ne coûtera à ces bons religieux pour leur procurer les secours spirituels. Mais pour les aider dans cette œuvre si méritoire, ils tournent les yeux vers votre Conseil, ils lui tendent la main, ils sollicitent les moyens de sauver tant d'âmes : vous viendrez donc, Messieurs, au secours de leur pauvreté. Vos allocations seront en proportion des frais énormes que nécessitent les longs et nombreux voyages qu'il leur faut entreprendre, et de l'impossibilité où se trouvent les indigènes de contribuer à leur subsistance. Vous aurez également égard à l'indigence d'un si grand nombre de missions dans les divers diocèses du Canada, et vous mériterez ainsi de plus en plus les remerciments des Evêques soussignés et de leurs ouailles.

Agréez, Messieurs, l'expression d'affectueuse estime avec laquelle nous nous souscrivons.

Vos très-humbles

et très-dévoués serviteurs,

✠ C.-F., Archev. de Québec.
✠ Ig., Ev. de Montréal.
✠ Jos.-Eug., Ev. d'Ottawa.
✠ Jean, Ev. d'Hamilton.
✠ Vital-J., Ev. de Satala Proc. de l'Illust. Alexandre, Ev. de St. Boniface.
✠ E.-J., Ev. de Kingston.
✠ Jean-Joseph, Ev. de Toronto.
✠ C., Ev. de St. Hyacinthe.
✠ L.-F., Ev. d'Anthédon.
✠ Jean, Ev. de St. Germain de Rimouski.
✠ Jean, Ev. de Sandwich.

SUPPLEX LIBELLUS AD SSMUM PONTIFICEM, PRO NOVA DIVISIONE PROVINCIÆ QUEBECENSIS.

Beatissime Pater,

Nobis, Archiepiscopo et Episcopis provinciæ Ecclesiasticæ Quebecensis, ad religionis bonum maxime conducere visum est ut ipsa hæc provincia in tres alias dismembretur, quarum unaquæque diœceses inferius designatas comprehendat.

Prima scilicet, nomen provinciæ Quebecensis retinens, amplecteretur cum archidiœcesi Quebecensi; diœceses Marianapolitanam, Ottawiensem, Trifluvianam, Sti. Hyacinthi et S. Germani *de Rimouski.*

Secunda, habens pro metropoli ecclesiam Torontinam, comprehenderet diœceses Kingstoniensem, Hamiltonensem, Torontinam et Sandovicensem.

Hic tamen agnoscere volumus jus quod habet ecclesia Kingstoniensis, ut metropolitano decoretur titulo, utque quæ cæteris Canadæ superioris Ecclesiis venerabilis antiquitatis nota præstat, sedesque primi ejusdem regionis Episcopi selecta fuit, et aliæ diœceses Canadiæ Superioris ex ea primitus formatæ sunt; nec igitur volumus hujusmodi juri et titulo præfatæ Ecclesiæ Kingstoniensis, coram Sancta Sede Apostolica, detrimentum afferre. Ad designandam itaque ecclesiam Torontinam tanquam futuram metropolim provinciæ Canadæ Superioris, his solis rationibus adducti sumus, scilicet quod civitas Torontina majori numero populi præstat, et fere in centro dictæ provinciæ sita est, necnon et electa fuit ut sedes gubernatoris et legislaturæ provincialis dictæ Superioris Canadæ.

Tertia tandem provincia efformaretur ex diœcesi Sti. Bonifacii, ut metropoli, et ex nova diœcesi postulata a

Rmo Episcopo Sti Bonifacii sub titulo sancti Alberti, quam postulationem votis nostris suffulcimus aliisque diœcesibus quas SSmo in his vastis regionibus erigere placebit, necnon et ex vicariatu Apostolico dicto *de la Rivière McKenzie*.

Hæc autem ad pedes Sanctitatis Vestræ humillime provoluti, de Ipsius indulgentia speramus.

Sanctitatis Vestræ

devotissimi et observantissimi filii,

✠ C.-F., Archieppus Quebecensis.
✠ Ign., Epus Marianopolitanensis.
✠ Jos.-Eugenius, Epus Ottawiensis.
✠ Joannes, Epus Hamiltonensis.
✠ Vitalis-J., Epus Satalensis, procurator Illmi Alexandri, Epi. S. Bonifacii.
✠ E.-J., Epus Kingstoniensis.
✠ Joannes-Joseph, Epus Torontinus.
✠ C., Epus Sti Hyacinthi.
✠ L.-F.. Epus Anthedonensis, Procurator Illmi ac Rmi Epi. Trifluviani.
✠ Joannes, Epus Sti Germani *de Rimouski*.
✠ Joannes, Epus Sandovicensis.

Quebeci, die 12 maii 1868.

VENERABILIBUS FRATRIBUS PATRIARCHIS, PRIMATIBUS, ARCHIEPISCOPIS, ET EPISCOPIS UNIVERSIS GRATIAM ET COMMUNIONEM APOSTOLICÆ SEDIS HABENTIBUS.

PIUS PP. IX.

VENERABILES FRATRES

Salutem et apostolicam benedictionem.

Quanta cura ac pastorali vigilantia Romani Pontifices prædecessores Nostri exsequentes demandatum sibi ab ipso Christo Domino in persona Beatissimi Petri Apostolorum Principis officium, munusque pascendi agnos et oves nunquam intermiserint universum Dominicum gregem sedulo enutrire verbis fidei, ac salutari doctrina imbuere, eumque ab venenatis pascuis arcere omnibus quidem ac Vobis præsertim compertum, exploratumque est, Venerabiles Fratres. Et sane iidem decessores Nostri augustæ catholicæ religionis, veritatis ac justitiæ assertores et vindices, de animarum salute maxime solliciti nihil potius unquam habuere, quam sapientissimis suis litteris, et constitutionibus retegere et damnare omnes hæreses et errores, qui divinæ Fidei nostræ, catholicæ Ecclesiæ doctrinæ, morum honestati, ac sempiternæ hominum saluti adversi, graves frequenter excitarunt tempestates, et christianam civilemque rempublicam miserandum in modum funestarunt. Quocirca iidem decessores Nostri Apostolica fortitudine continenter obstiterunt nefariis iniquorum hominum molitionibus, qui despumantes tamquam fluctus feri maris confusiones suas ac libertatem promittentes, cum servi sint corruptionis, fallacibus suis opinionibus, et perniciosissimis catholicæ religionis civilisque societatis fun-

damenta convellere, omnemque virtutem ac justitiam de medio tollere, omniumque animos mentesque depravare, et incautos imperitamque præsertim juventutem a recta morum disciplina avertere, eamque miserabiliter corrumpere, in erroris laqueos inducere, ac tandem ab Ecclesiæ catholicæ sinu avellere conati sunt.

Jam vero, uti Vobis, Venerabiles Fratres, apprime notum est, Nos vix dum arcano divinæ provindentiæ consilio nullis certe Nostris meritis ad hanc Petri Cathedram evecti fuimus, cum videremus summo animi Nostri dolore horribilem sane procellam tot pravis opinionibus excitatam, et gravissima, ac nunquam satis lugenda damna, quæ in christianum populum ex tot erroribus redundant, pro Apostolici Nostri ministerii officio illustria prædecessorum Nostrorum vestigia sectantes Nostram extulimus vocem, ac pluribus in vulgus editis encyclicis epistolis et allocutionibus in Consistorio habitis, aliisque Apostolicis litteris præcipuos tristissimæ nostræ ætatis errores damnavimus, eximiamque vestram episcopalem vigilantiam excitavimus, et universos catholicæ Ecclesiæ Nobis carissimos filios etiam atque etiam monuimus et exhortati sumus, ut tam diræ contagia, pestis omnino horrerent et devitarent. Ac præsertim Nostra prima Encyclica Epistola die 9 novembris anno 1846 Vobis scripta, binisque Allocutionibus, quarum altera die 9 decembris anno 1854, altera 9 junii anno 1862 in Consistorio a Nobis habita fuit, monstrosa opinionum portenta damnavimus, quæ hac potissimum ætate cum maximo animarum damno, et civilis ipsius societatis detrimento dominantur, quæque non solum catholicæ Ecclesiæ, ejusque salutari doctrinæ ac venerandis juribus, verum etiam sempiternæ naturali legi a Deo in omnium cordibus insculptæ,

rectæque rationi maxime adversantur, et ex quibus alii prope omnes originem habent errores.

Etsi autem haud omiserimus potissimos hujusmodi errores sæpe proscribere et reprobare, tamen catholicæ Ecclesiæ causa, animarumque salus Nobis divinitus commissa, atque ipsius humanæ societatis bonum omnino postulant, ut iterum pastoralem vestram sollicitudinem excitemus ad alias pravas profligandas opiniones, quæ ex eisdem erroribus, veluti ex fontibus erumpunt. Quæ falsæ ac perversæ opiniones eo magis detestandæ sunt, quod eo potissimum spectant, ut impediatur et amoveatur salutaris illa vis, quam catholica Ecclesia ex divini sui Auctoris institutione, et mandato libere exercere debet usque ad consummationem sæculi non minus erga singulos homines, quam erga nationes, populos, summosque eorum principes, utque de medio tollatur mutua illa inter sacerdotium et imperium consiliorum societas et concordia, quæ rei cum sacræ tum civili fausta semper exstitit ac salutaris (1). Etenim probe noscitis, Venerabiles Fratres, hoc tempore non paucos reperiri, qui civili consortio impium absurdumque *naturalismi*, uti vocant, principium applicantes audent docere, " optimam societatis publicæ rationem, civilemque progressum omnino requirere, ut humana societas constituatur et gubernetur, nullo habito ad religionem respectu, ac si ea non existeret, vel saltem nullo facto veram inter falsasque religiones discrimine." Atque contra sacrarum litterarum, Ecclesiæ, sanctorumque Patrum doctrinam, asserere non dubitant, " optimam esse conditionem societatis, in qua imperio non agnoscitur officium coercendi sancitis pœnis violatores catholicæ religionis, nisi quatenus pax publica

(1) Gregor. XVI. Epist. encycl. *Mirari* 15 aug. 1832.

postulet." Ex qua omnino falsa socialis regiminis idea haud timent erroneam illam fovere opinionem catholicæ Ecclesiæ, animarumque saluti maxime exitialem a rec. mem. Gregorio XVI Prædecessore Nostro *deliramentum* appellatam (1), nimirum "libertatem conscientiæ, et cultuum esse proprium cujuscumque hominis jus, quod lege proclamari, et asseri debet in omni recte constituta societate, et jus civibus inesse ad omnimodam libertatem nulla vel ecclesiastica, vel civili auctoritate coarctandam, quo suos conceptus quoscumque sive voce, sive typis, sive alia ratione palam publiceque manifestare, ac declarare valeant." Dum vero id temere affirmant, haud cogitant et considerant, quod *libertatem perditionis* (2) prædicant, et quod "si humanis persuasionibus semper "disceptare sit liberum, nunquam deesse poterunt, qui "veritati audeant resultare, et de humanæ sapientiæ "loquacitate confidere, cum hanc nocentissimam vani-"tatem quantum debeat fides et sapientia christiana "vitare, ex ipsa Domini Nostri Jesu Christi institu-"tione cognoscat." (3).

Et quoniam ubi a civili societate fuit amota religio, ac repudiata divinæ revelationis doctrina et auctoritas, vel ipsa germana justitiæ humanique juris notis tenebris obscuratur et amittitur, atque in veræ justitiæ legitimique juris locum materialis substituitur vis, inde liquet cur nonnulli certissimis sanæ rationis principiis penitus neglectis posthabitisque audeant conclamare, "voluntatem populi, publica, quam dicunt, opinione, vel alta ratione manifestatam constituere supremam legem ab omni divino humanoque jure solutam, et in ordine politico facta

(1) Eadem Encycl. *Mirari.*
(2) S. Aug. Epist. 105 al. 166.
(3) S. Leo Epist. 164 al. 133. § 2 edit. Ball.

consummata, eo ipso quod consummata sunt vim juris habere." Verum ecquis non videt, planeque sentit, hominum societatem religionis ac veræ justitiæ vinculis solutam nullum aliud profecto propositum habere posse, nisi scopum comparandi, cumulandique opes, nullamque aliam in suis actionibus legem sequi, nisi indomitam animi cupiditatem inserviendi propriis voluptatibus et commodis ? Eapropter hujusmodi homines acerbo sane odio insectantur religiosas familias quamvis de re christiana, civili, ac litteraria summopere meritas, et blaterant, easdem nullam habere legitimam existendi rationem, atque ita hæreticorum commentis plaudunt. Nam, ut sapientissime rec. mem. Pius VI. Decessor Noster docebat " regularium abolitio lædit statum pu-" blicæ professionis consiliorum evangelicorum, lædit " vivendi rationem in Ecclesia commendatam tanquam " Apostolicæ doctrinæ consentaneam, lædit ipsos insignes " fundatores, quos super altaribus veneramur, qui non-" nisi a Deo inspirati eas constituerunt societates " (1). Atque etiam pronunciant, auferendam esse civibus et Ecclesiæ impie facultatem " qua eleemosynas christianæ charitatis causa palam erogare valeant," ac de medio tollendam legem " qua certis aliquibus diebus opera servilia propter Dei cultum prohibentur " fallacissime prætexentes, commemoratam fac ultatem et legem optimæ publicæ œconomiæ principiis obsistere. Neque contenti amovere religionem a publica societate, volunt religionem ipsam a privatis etiam arcere familiis. Etenim funestissimum *Communismi* et *Socialismi* docentes ac profitentes errorem asserunt " societatem domesticam seu familiam totam suæ existentiæ rationem a jure

(1) Epist. ad Card. De la Rochefoucault 10 martii 1791.

dumtaxat civili mutuari; proindeque ex lege tantum civili dimanare ac pendere jura omnia parentum in filios, cum primis vero jus institutionis, educationisque curandæ." Quibus impiis opinionibus, machinationibusque in id præcipue intendunt fallacissimi isti homines, ut salutifera catholicæ Ecclesiæ doctrina ac vis a juventutis institutione et educatione prorsus eliminetur, ac teneri flexibilesque juvenum animi perniciosis quibusque erroribus, vitiisque misere inficiantur ac depraventur. Siquidem omnes, qui rem tum sacram, tum publicam perturbare, ac rectum societatis ordinem evertere, et jura omnia divina et humana delere sunt conati, omnia nefaria sua consilia, studia et operam in improvidam præsertim juventutem decipiendam ac depravandam, ut supra innuimus, semper contulerunt, omnemque spem in ipsius juventutis corruptela collocarunt. Quocirca numquam cessant utrumque clerum, ex quo, veluti certissima historiæ monumenta splendide testantur, tot magna in christianam, civilem, et litterariam rempublicam commoda redundarunt, quisbuscumque infandis modis divexare, et edicere, ipsum clerum "utpote vero, utilique scientiæ et civilitatis progressui inimicum ab omni juventutis instituendæ educandæque cura et officio esse amovendum."

At vero alii instaurantes prava ac toties damnata novatorum commenta, insigni impudentia audent, Ecclesiæ et hujus Apostolicæ Sedis supremam auctoritatem a Christo Domino ei tributam civilis auctoritatis arbitrio subjicere, ut omnia ejusdem Ecclesiæ et Sedis jura denegare circa ea quæ ad exteriorem ordinem pertinent. Namque ipsos minime pudet affirmare "Ecclesiæ leges non obligare in conscientia, nisi cum promulgantur a civili potestate; acta et decreta Romano-

rum Pontificum ad religionem et Ecclesiam spectantia indigere sanctione et approbatione, vel minimum assensu potestatis civilis ; constitutiones Apostolicas (1), quibus damnantur clandestinæ societates, sive in eis exigatur, sive non exigatur juramentum de secreto servando, earumque asseclæ et fautores anathemate mulctantur, nullam habere vim in illis orbis regionibus ubi ejusmodi aggregationes tolerantur a civili gubernio ; excommunicationem a Concilio Tridentino et Romanis Pontificibus latam in eos, qui jura possessionesque Ecclesiæ invadunt, et usurpant, niti confusione ordinis spiritualis, ordinisque civilis ac politici ad mundanum dumtaxat bonum prosequendum ; Ecclesiam nihil debere decernere, quod obstringere possit fidelium conscientias in ordine ad usum rerum temporalium ; Ecclesiæ jus non competere violatores legum suarum pœnis temporalibus coercendi ; conforme esse sacræ theologiæ, jurisque publici principiis, bonorum proprietatem, quæ ab Ecclesiis, a familiis religiosis, aliisque locis piis possidentur, civili gubernio asserere, et vindicare." Neque erubescunt palam publiceque profiteri hæreticorum effatum et principium, ex quo tot perversæ oriuntur sententiæ, atque errores. Dictitant enim " Ecclesiasticam potestatem non esse jure divino distinctam et independentem a potestate civili, neque ejusmodi distinctionem, et independentiam servari posse, quin ab Ecclesia invadantur et usurpentur essentialia jura potestatis civilis." Atque silentio præterire non possumus eorum audaciam, qui sanam non sustinentes doctrinam contendunt " illis Apostolicæ Sedis judiciis, et decretis, quorum objectum ad bonum generale Ecclesiæ, ejusdemque jura, ac disci-

(1) Clement. XII. " *In eminenti.*" Benedict. XIV. " *Providas Romanorum.*" Pii VII. " *Ecclesiam.*" Leonis XII. " *Quo graviora.*"

plinam spectare declaratur, dummodo fidei morumque dogmata non attingat, posse assensum et obedientiam detrectari absque peccato, et absque ulla catholicæ professionis jactura." Quod quidem quantopere adversetur catholico dogmati plenæ potestatis Romano Pontifici ab ipso Christo Domino divinitus collatæ universalem pascendi, regendi, et gubernandi Ecclesiam, nemo est qui non clare aperteque videat et intelligat.

In tanta igitur depravatarum opinionum perversitate, Nos Apostolici Nostri officii probe memores, ac de sanctissima nostra religione, de sana doctrina, et animarum salute Nobis divinitus commissa, ac de ipsius humanæ societatis bono maxime solliciti, Apostolicam Nostram vocem iterum extollere existimavimus. Itaque omnes et singulas pravas opiniones ac doctrinas singillatim hisce litteris commemoratas auctoritate Nostra Apostolica reprobamus, proscribimus atque damnamus, easque ab omnibus catholicæ Ecclesiæ filiis, veluti reprobatas, proscriptas atque damnatas omnino haberi volumus et mandamus.

Ac præter ea, optime scitis, Venerabiles Fratres, hisce temporibus omnis veritatis justitiæque osores, et acerrimos nostræ religionis hostes, per pestiferos libros, libellos, et ephemerides toto terrarum orbe dispersas populis illudentes, ac malitiose mentientes alias impias quasque disseminare doctrinas. Neque ignoratis, hac etiam nostra ætate, nonnullos reperiri, qui satanæ spiritu permoti, et incitati eo impietatis devenerunt, ut dominatorem nostrum Jesum Christum negare, ejusque divinitatem scelerata procacitate oppugnare non paveant Hic vero haud possumus, quin maximis meritisque laudibus Vos efferamus, Venerabiles Fratres, qui episcopalem vestram vocem contra tantam impietatem omni zelo attollere minime omisistis.

Itaque hisce Nostris litteris Vos iterum amantissime alloquimur, qui in sollicitudinis Nostræ partem vocati summo Nobis inter maximas Nostras acerbitates solatio, lætitiæ, et consolationi estis propter egregiam, qua præstatis religionem, pietatem, ac propter mirum illum amorem, fidem, et observantiam, qua Nobis et huic Apostolicæ Sedi concordissimis obstricti gravissimum episcopale vestrum ministerium strenue ac sedulo implere contenditis. Etenim ab eximio vestro pastorali zelo exspectamus, ut assumentes, gladium spiritus, quod est verbum Dei, et confortati in gratia Domini Nostri Jesu Christi velitis ingeminatis studiis quotidie magis prospicere, ut fideles curæ vestræ concrediti "abstineant "ab herbis noxiis, quas Jesus Christus non colit, quia "non sunt plantatio Patris" (1). Atque eisdem fidelibus inculcare nunquam desinite, omnem veram felicitatem in homines ex augusta nostra religione, ejusque doctrina et exercitio redundare, ac beatum esse populum, cujus Dominus ejus (2). Docete "catholicæ Fidei fundamento "regna subsistere (3), et nihil tam mortiferum, tam "præceps ad casum, tam expositum ad omnia peri-"cula, si hoc solum nobis putantes posse sufficere, quod "liberum arbitrium, cum nasceremur, accepimus ultra "jam a Domino nihil quæramus, id est, auctoris nostri "obliti, ejus potentiam, ut nos ostendamus liberos, "abjuremus" (4). Atque etiam ne omittatis docere "regiam potestatem non ad solum mundi regimen, sed "maxime ad Ecclesiæ præsidium esse collatam (5), et "nihil esse quod civitatum principibus, et regibus

(1) S. Ignatius M. ad Philadelp. 3.
(2) Psal. 143.
(3) S. Cælest. epist. 22 ad Synod. Ephes. apud Coust. p. 1200.
(4) S. Innocent. I. epist. 29 ad Episc. conc. Carthag. apud Coust. pag. 891.
(5) S. Leo Epist. 156 al. 125.

"majori fructui gloriæque esse possit, quam si, ut "sapientissimus fortissimusque alter Prædecessor Noster "S. Felix Zenoni imperatori perscribebat, Ecclesiam "catholicam. . . . sinant uti legibus suis, nec libertati "ejus quemquam permittant obsistere . . . . Certum est "enim, hoc rebus suis esse salutare, ut, cum de causis "Dei agatur, justa ipsius constitutum regiam volunta-"tem sacerdotibus Christi studeant subdere, non "præferre" (1).

Sed si semper, Venerabiles Fratres, nunc potissimum in tantis Ecclesiæ, civilisque societatis calamitatibus, in tanta adversariorum contra rem catholicam, et hanc Apostolicam Sedem conspiratione, tantaque errorum congerie, necesse omnino est, ut adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Quocirca omnium fidelium pietatem excitare existimavimus, ut una Nobiscum Vobisque clementissimum luminum et misericordiarum Patrem ferventissimis humillimisque precibus sine intermissione orent, et obsecrent, et in plenitudine fidei semper confugiant ad Dominum Nostrum Jesum Christum, qui redemit nos Deo in sanguine suo, Ejusque dulcissimum Cor flagrantissimæ erga nos caritatis victimam enixe jugiterque exorent, ut amoris sui vinculis omnia ad seipsum trahat, utque omnes homines sanctissimo suo amore inflammati secundum Cor Ejus ambulent digne Deo per omnia placentes, in omni bono opere fructificantes. Cum autem sine dubio gratiores sint Deo hominum preces, si animis ab omni labe puris ad ipsum accedant, iccirco cælestes Ecclesiæ thesauros dispensationi Nostræ commissos Christifide-

(1) Pius VII. Epist. Encycl. "*Diu satis*, 15 maii 1800.

libus Apostolica liberalitate reserare censuimus, ut iidem fideles ad veram pietatem vehementius, incensi, ac per Pœnitentiæ Sacramentum a peccatorum maculis expiati fidentius suas preces ad Deum effundant, ejusque misericordiam et gratiam consequantur.

Hisce igitur litteris autoritate Nostra Apostolica omnibus et singulis utriusque sexus catholici orbis fidelibus Plenariam Indulgentiam ad instar Jubilæi concedimus intra unius tantum mensis spatium usque ad totum futurum annum 1865 et non ultra, a Vobis, Venerabiles Fratres, aliisque legitimis locorum ordinariis statuendum, eodem prorsus modo et forma, qua ab initio supremi Nostri Pontificatus concessimus per apostolicas Nostras litteras in forma brevis die 20 mensis novembris anno 1846 datas, universum episcopalem vestrum ordinem missas, quarum initium "Arcano Divinæ Providentiæ consilio," et cum omnibus eisdem facultatibus, quæ per ipsas litteras a nobis datæ fuerunt. Volumus tamen, ut ea omnia serventur, quæ in commemoratis litteris præscripta sunt, et ea excipiantur, quæ excepta esse declaravimus. Atque id concedimus, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque, etiam speciali et individua mentione, ac derogatione dignis. Ut autem omnis dubitatio et difficultas amoveatur, earumdem litterarum exemplar ad Vos perferri jussimus.

" Rogemus Venerabiles Fratres, de intimo corde et " de tota mente misericordiam Dei, quia et ipse addidit " dicens : misericordiam autem meam non dispergam " ab eis. Petamus et accipiemus, et si accipiendi mora " et tarditas fuerit, quoniam graviter offendimus, pulse- " mus, quia aperietur, si modo pulsent ostium preces, " gemitus, et lacrimæ nostræ, quibus insistere et im-

"morari oportet, et si sit unanimis oratio. . . unus-
"quisque oret Deum non pro se tantum, sed pro om-
"nibus fratribus, sicut Dominus orare nos docuit" (1). Quo vero facilius Deus Nostris, Vestrisque, et omnium fidelium precibus, votisque annuat, cum omni fiducia deprecatricem apud Eum adhibeamus immaculatam sanctissimamque Deiparam Virginem Mariam, quæ cunctas hæreses interemit in universo mundo, quæque omnium nostrum amantissima mater "tota suavis est. . . . ac
"plena misericordiæ, ... omnibus sese exorabilem
"omnibus clementissimam præbet, omnium necessi-
"tates amplissimo quodam miseratur affectu" (2), atque utpote regina adstans a dextris Unigeniti Filii sui nostri Jesu Christi in vestitu deaurato circumamicta varietate nihil est, quod ab Eo impetrare non valeat. Suffragia quoque petamus beatissimi Petri Apostolorum Principis, et coapostoli ejus Pauli, omniumque sanctorum cælitum, qui facti jam amici Dei pervenerunt ad cælestia regna, et coronati possident palmam, ac de sua immortalitate securi, de nostra sunt salute solliciti.

Denique cælestium omnium donorum copiam Vobis a Deo ex animo adprecantes singularis Nostræ in Vos caritatis pignus Apostolicam Benedictionem ex intimo corde perfectam Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, cunctisque clericis, laicisque fidelibus curæ vestræ commissis peramanter impertimus.

Datum Romæ apud S. Petrum die VIII decembris anno 1864, decimo a dogmatica definitione immaculatæ conceptionis Deiparæ Virginis Mariæ.

Pontificatur Nostri anno decimo-nono.

PIUS. PP. IX.

(1) S. Cyprian. Epist. 11.

(2) S. Bernard. Serm. de duodecim prærogativis B. M. V. ex verbis Apocalyp.

SYLLABUS

COMPLECTENS PRÆCIPUOS NOSTRÆ ÆTATIS ERRORES QUI NOTANTUR IN ALLOCUTIONIBUS CONSISTORIALIBUS, IN ENCYCLICIS ALIISQUE APOSTOLICIS LITTERIS SANCTISSIMI NOSTRI PII PAPÆ IX.

---

§ I

Pantheismus, Naturalismus et Rationalismus absolutus.

I. Nullum supremum, sapientissimum, providentissimumque Numen divinum existit ab hac rerum universitate distinctum, et Deus idem est ac rerum natura et iccirco immutationibus obnoxius, Deusque reapse fit in homine et mundo, atque omnia Deus sunt et ipsissimam Dei habent substantiam ; ac una eademque res est Deus cum mundo, et proinde spiritus cum materia, necessitas cum libertate, verum cum falso, bonum cum malo, et justum cum injusto.

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

II. Neganda est omnis Dei actio in homines et mundum.

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

III. Humana ratio, nullo prorsus Dei respectu habito, unicus est veri et falsi, boni et mali arbiter, sibi ipsi est lex et naturalibus suis viribus ad hominum ac populorum bonum curandum sufficit.

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

IV. Omnes religionis veritates ex nativa humanæ rationis vi derivant ; hinc ratio est princeps norma qua

homo cognitionem omnium cujuscumque generis veritatum assequi possit ac debeat.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846.
Epist. encycl. *Singularis quidem* 17 martii 1856.
Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

V. Divina revelatio est imperfecta et iccirco subjecta continuo et indefinito progressui qui humanæ rationis progressioni respondeat.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846.
Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

VI. Christi fides humanæ refragatur rationi; divinaque revelatio non solum nihil prodest, verum etiam nocet hominis perfectioni.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846.
Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

VII. Prophetiæ et miracula in sacris litteris exposita et narrata sunt pœtarum commenta, et christianæ fidei mysteria philosophicarum investigationum summa; et utriusque Testamenti libris mythica continentur inventa; ipseque Jesus Christus est mythica fictio.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846.
Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

§ II

Rationalismus moderatus.

VIII. Quum ratio humana ipsi religioni æquiparetur, iccirco theologicæ disciplinæ perinde ac philosophicæ tractandæ sunt.

Alloc. *Singulari quadam perfusi* 9 decembris 1854.

IX. Omnia indiscriminatim dogmata religionis christianæ sunt objectum naturalis scientiæ seu philosophiæ; et humana ratio historice tantum exculta potest ex suis

naturalibus viribus et principiis ad veram de omnibus etiam reconditioribus dogmatibus scientiam pervenire, modo hæc dogmata ipsi rationi tamquam objectum proposita fuerint.

Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas* 11 decembris 1862.
Epist. ad eumdem *Tuas libenter* 21 decembris 1863.

X. Quum aliud sit philosophus, aliud philosophia, ille jus et officium habet se submittendi auctoritati, quam veram ipse probaverit; at philosophia neque potest, neque debet ulli sese submittere auctoritati.

Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas* 11 decembris 1862.
Epist. ad eumdem *Tuas libenter* 21 decembris 1863.

XI. Ecclesia non solum non debet in philosophiam unquam animadvertere, verum etiam debet ipsius philosophiæ tolerare errores, eique relinquere ut ipsa se corrigat.

Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas* 11 decembris 1862.

XII. Apostolicæ Sedis, romanarumque congregationum decreta liberum scientiæ progressum impediunt.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21 decembris 1863.

XIII. Methodus et principia, quibus antiqui doctores scholastici theologiam excoluerunt, temporum nostrorum necessitatibus scientiarumque progressui minime congruunt.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21 decembris 1863.

XIV. Philosophia tractanda est, nulla supernaturalis revelationis habita ratione.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21 decembris 1863.

N. B. Cum rationalismi systemate cohærent maximam partem errores Antonii Günther, qui damnantur in epist. ad Card. Archiep. Coloniensem *Eximiam tuam* 15 junii 1847, et in epist. ad Episc. Wratislaviensem *Dolore haud mediocri* 30 aprilis 1860.

§ III

Indifferentissimus, Latitudinarismus.

XV. Liberum cuique homini est eam amplecti ac profiteri religionem, quam rationis lumine quis ductus veram putaverit.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 junii 1851.
Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

XVI. Homines in cujusvis religionis cultu viam æternæ salutis reperire æternamque salutem assequi possunt.

Epis. encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846.
Alloc. *Ubi primum* 17 decembris 1847.
Epis. encycl. *Singulari quidem* 17 martii 1856.

XVII. Saltem bene sperandum est de æterna illorum omnium salute, qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versantur.

Alloc. *Singulari quadam* 9 decembris 1854.
Epist. encycl. *Quanto conficiamur* 17 augusti 1863.

XVIII. Protestantismus non aliud est quam diversa veræ ejusdem christianæ religionis forma, in qua æque ac in Ecclesia catholica Deo placere datum est.

Epis. encycl. *Noscitis et Nobiscum* 8 decembris 1849.

§ IV.

Socialismus, Communismus, Societates clandestinæ, Societates biblicæ, Societates clericoliberales.

Ejusmodi pestes sæpe gravissimisque verborum formulis reprobantur in epist. encycl. *Qui pluribus* 9 novemb. 1846; in alloc. *Quibus quantisque* 20 april. 1849; in epist. encycl. *Noscitis et Nobiscum* 8 decemb.

1849; in allocut. *Singulari quadam* 9 decemb. 1854; in epist. encycl. *Quanto conficiamur mœrore* 10 augusti 1863.

§ V

Errores de Ecclesia ejusque juribus.

XIX. Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus juribus sibi a divino suo fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire quæ sint Ecclesiæ jura ac limites, intra quos eadem jura exercere queat.

Alloc. *Singulari quadam* 9 decembris 1854.
Alloc. *Multis gravibusque* 17 decembris 1860.
Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

XX. Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civilis gubernii venia et assensu.

Alloc. *Meminit unusquisque* 30 septembris 1861.

XXI. Ecclesia non habet potestatem dogmatice definiendi, religionem catholicæ Ecclesiæ esse unice veram religionem.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 junii 1851.

XXII. Obligatio, qua catholici magistri et scriptores omnino adstringuntur, coarctatur in iis tantum, quæ ab infallibili Ecclesiæ judicio veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21 decembris 1863.

XXIII Romani Pontifices et concilia œcumenica a limitibus suæ potestatis recesserunt, jura principum usurparunt, atque etiam in rebus fidei et morum definiendis errarunt.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 junii 1851.

XXIV. Ecclesia vis inferendæ potestatem non habet, neque potestatem nullam temporalem directam vel indirectam.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 augusti 1851.

XXV. Præter potestatem episcopatui inhærentem, alia est attributa temporalis potestas a civili imperio vel expresse vel tacite concessa revocanda propterea, cum libuerit, a civili imperio.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 augusti 1851.

XXVI. Ecclesia non habet nativum ac legitimum jus acquirendi ac possidendi.

Alloc. *Numquam fore* 15 decembris 1856.
Epist. encycl. *Incredibili* 17 septembris 1863.

XXVII. Sacri Ecclesiæ ministri Romanusque Pontifex ab omni rerum temporalium cura ac dominio sunt omnino excludendi.

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

XXVIII. Episcopis, sine gubernii venia, fas non est vel ipsas apostolicas litteras promulgare.

Alloc. *Nunquam fore* 15 decembris 1856.

XXIX. Gratiæ a Romano Pontifice concessæ existimari debent tamquam irritæ, nisi per gubernium fuerint imploratæ.

Alloc. *Nunquam fore* 15 decembris 1856.

XXX. Ecclesiæ et personarum ecclesiasticarum immunitas a jure civili ortum habuit.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 junii 1851.

XXXI. Ecclesiasticum forum pro temporalibus clericorum causis sive civilibus sive criminalibus omnino de medio tollendum est, etiam inconsulta et reclamante Apostolica Sede.

Alloc. *Acerbissimum* 26 septembris 1852.
Alloc. *Nunquam fore* 15 decembris 1856.

XXXII. Absque ulla naturalis juris et æquitatis violatione potest abrogari personalis immunitas, qua clerici ab onere subeundæ exercendæque militiæ eximuntur ; hanc vero abrogationem postulat civilis progressus, maxime in societate ad formam liberioris regiminis constituta.

Epist. ad Episc. Montisregal. *Singularis Nobisque* 29 sept. 1864.

XXXIII. Non pertinet unice ad ecclesiasticam jurisdictionis potestatem proprio ac nativo jure dirigere theologicarum rerum doctrinam.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21 decembris 1863.

XXXIV. Doctrina comparantium Romanum Pontificem principi libero et agenti in universa Ecclesia, doctrina est quæ medio ævo prævaluit.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 augusti 1851.

XXXV. Nihil vetat, alicujus concilii generalis sententia aut universorum populorum facto, Summum Pontificatum ab Romano Episcopo atque Urbe ad alium Episcopum aliamque civitatem transferri.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 augusti 1851.

XXXVI. Nationalis concilii definitio nullam aliam admittit disputationem, civilisque administratio rem ad hosce terminos exigere potest.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 augusti 1851.

XXXVII. Institui possunt nationales ecclesiæ, ab auctoritate Romani Pontificis subductæ planeque divisæ.

Alloc. *Multis gravibusque* 17 decembris 1860.
Alloc. *Jamdudum cernimus* 18 martii 1861.

XXXVIII. Divisioni Ecclesiæ in orientalem atque occidentalem nimia Romanorum Pontificum arbitria contulerunt.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 augusti 1851.

§ VI.

Errores de societate civili tum in se, tum in suis ad Ecclesiam relationibus spectata.

XXXIX. Reipublicæ status, utpote omnium jurium origo et fons, jure quodam pollet nullis circumscripto limitibus.

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

XL. Catholicæ Ecclesiæ doctrina humanæ societatis bono et commodis adversatur.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846.
Alloc. *Quibus quantisque* 20 aprilis 1839.

XLI. Civili potestati vel ab infideli imperante exercitæ competit potestas indirecta negativa in sacra; eidem proinde competit nedum jus quod vocant *exequatur*, sed etiam jus *appellationis*, quam nuncupant, *ab abusu*.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 augusti 1851.

XLII. In conflictu legum utriusque potestatis, jus civile prævalet.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ 22 augusti* 1851.

XLIII. Laica potestas auctoritatem habet rescindendi, declarandi ac faciendi irritas solemnes conventiones (vulgo *Concordata*) super usu jurium ad ecclesiasticam immunitatem pertinentium cum Sede Apostolica initas, sine hujus consensu, immo et ea reclamante.

Alloc. *In Consistoriali* 1 novembris 1850.
Alloc. *Multis gravibusque* 17 decembris 1860.

XLIV. Civilis auctoritas potest se immiscere rebus quæ ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent. Hinc potest de instructionibus judicare, quas Ecclesiæ pastores ad conscientiarum normam pro suo munere edunt, quin etiam potest de divinorum sacra-

mentorum administratione et dispositionibus ad ea suscipienda necessariis decernere.

Alloc. *In Consistoriali* 1 novembris 1850.

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

XLV. Totum scholarum publicarum regimen, in quibus juventus christianæ alicujus reipublicæ instituitur, episcopalibus dumtaxat seminariis aliqua ratione exceptis, potest ac debet attribui auctoritati civili, et ita quidem attribui, ut nullum alii cuicumque auctoritati recognoscatur jus immiscendi se in disciplina scholarum, in regimine studiorum, in graduum collatione, in delectu aut approbatione magistrorum.

Alloc. *In Consistoriali* 1 novembris 1850.

Alloc. *Quibus luctuosissimis* 5 septembris 1851.

XLVI. Immo in ipsis clericorum seminariis methodus studiorum adhibenda civili auctoritati subjicitur.

Alloc. *Numquam fore* 15 decembris 1856.

XLVII. Postulat optima civilis societatis ratio, ut populares scholæ, quæ patent omnibus cujusque e populo classis pueris, ac publica universim instituta, quæ litteris severioribusque disciplinis tradendis et educationi juventutis curandæ sunt destinata, eximantur ab omni Ecclesiæ auctoritate, moderatrice vi et ingerentia, plenoque civilis ac politicæ auctoritatis arbitrio subjiciantur ad imperantium placita et ad communium ætatis opinionum amussim.

Epist. ad Archiep. Friburg. *Quum non sine* 14 julii 1864.

XLVIII. Catholicis viris probari potest ea juventutis instituendæ ratio, quæ sit a catholica fide et ab Ecclesiæ potestate sejuncta, quæque rerum dumtaxat naturalium scientiam ac terrenæ socialis vitæ fines tantummodo vel saltem primario spectet.

Epist. ad Archiep. Friburg. *Quum non sine* 14 julii 1864.

XLIX. Civilis auctoritas potest impedire quominus sacrorum antistites et fideles populi cum Romano Pontifice libere ac mutuo communicent.

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

L. Laica auctoritas habet per se jus præsentandi episcopos et potest ab illis exigere ut ineant diœcesium procurationem antequam ipsi canonicam a S. Sede institutionem et apostolicas litteras accipiant.

Alloc. *Numquam fore* 15 decembris 1856.

LI. Immo laicum gubernium habet jus deponendi ab exercitio pastoralis ministerii episcopos, neque tenetur obedire Romano Pontifici in iis quæ episcopatum et episcoporum respiciunt institutionem.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 junii 1851.
Alloc. *Acerbissimum* 27 septembris 1852.

LII. Gubernium potest suo jure immutare ætatem ab Ecclesia præscriptam pro religiosa tam mulierum quam virorum professione, omnibusque religiosis familiis indicere, ut neminem sine suo permissu ad solemnia vota nuncupanda admittant.

Alloc. *Numquam fore* 15 decembris 1856.

LIII. Abrogandæ sunt leges quæ ad religiosarum familiarum statum tutandum, earumque jura et officia pertinent; immo potest civile gubernium iis omnibus auxilium præstare, qui a suscepto religiosæ vitæ instituto deficere ac solemnia vota frangere velint; pariterque potest, religiosas easdem familias perinde ac collegiatas Ecclesias et beneficia simplicia etiam juris patronatus penitus extinguere, illorumque bona et reditus civilis potestatis administrationi et arbitrio subjicere et vindicare.

Alloc. *Acerbissimum* 27 septembris 1852.
Alloc. *Probe memineritis* 22 januarii 1855.
Alloc. *Cum sæpe* 26 julii 1855.

LIV. Reges et principes non solum ab Ecclesiæ jurisdictione eximuntur, verum etiam in quæstionibus jurisdictionis dirimendis superiores sunt Ecclesia.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 junii 1851.

LV. Ecclesia a statu, statusque ab Ecclesia sejungendus est.

Alloc. *Acerbissimum* 27 septembris 1852.

§ VII.

Errores de Ethica naturali et christiana.

LVI. Morum leges divina haud egent sanctione, minimeque opus est ut humanæ leges ad naturæ jus conformentur aut obligandi vim a Deo accipiant.

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

LVII. Philosophicarum rerum morumque scientia, itemque civiles leges possunt et debent a divina et ecclesiastica auctoritate declinare.

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

LVIII. Aliæ vires non sunt agnoscendæ nisi illæ quæ in materia positæ sunt, et omnis morum disciplina honestasque collocari debet in cumulandis et augendis quovis modo divitiis ac in voluptatibus explendis.

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.
Alloc. encycl. *Quanto conficiamur* 10 *augusti* 1863.

LIX. Jus in materiali facto consistit, et omnia hominum officia sunt nomen inane, et omnia humana facta juris vim habent.

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1863.

LX. Auctoritas nihil aliud est nisi numeri et materialium virium summa.

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

LXI. Fortunata facti injustitia nullum juris sanctitati detrimentum affert.

Alloc. *Jamdudum cernimus* 18 martii 1861.

LXII. Proclamandum est et observandum principium quod vocant de *non-interventu.*

Alloc. *Novos et ante* 28 septembris 1860.

LXIII. Legitimis principibus obedientiam detrectare, immo et rebellare licet.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846.
Alloc. *Quisque vestrum* 4 octobris 1847.
Epist. encycl. *Noscitis et Nobiscum* 8 decembris 1849.
Litt. Apost. *Cum catholica* 26 martii 1860.

LXIV. Tum cujusque sanctissimi juramenti violatio, tum quælibet scelesta flagitio atque actio sempiternæ legi repugnans, non solum haud est improbanda, verum etiam omnino licita, summisque laudibus efferenda, quando id pro patriæ amore agatur.

Alloc. *Quibus quantisque* 20 aprilis 1849.

§ VIII

Errores de matrimonio christiano.

LXV. Nulla ratione fieri potest, Christum evexisse matrimonium ad dignitatem sacramenti.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 augusti 1851.

LXVI. Matrimonii sacramentum non est nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile, ipsumque sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm est.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 augusti 1851.

LXVII. Jure naturæ matrimonii vinculum non est

indissolubile, et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 augusti 1851.
Alloc. *Acerbissimum* 27 septembris 1852.

LXVIII. Ecclesia non habet potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi, sed ea potestas civili auctoritati competit, a qua impedimenta existentia tollenda sunt.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 junii 1851.

LXIX. Ecclesia sequioribus sæculis dirimentia impedimenta inducere cœpit, non jure proprio, sed illo jure usa, quod a civili potestate mutuata erat.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 augusti 1851.

LXX. Tridentini canones qui anathematis censuram illis inferunt qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi Ecclesiæ negare audeant, vel non sunt dogmatici vel de hac mutuata potestate intelligendi sunt.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 augusti 1851.

LXXI. Tridentini forma sub infirmitatis pœna non obligat, ubi lex civilis aliam formam præstituat, et velit hac nova forma interveniente matrimonium valere.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 augusti 1851.

LXXII. Bonifacius VIII. votum castitatis in ordinatione emissum nuptias nullas reddere primus asseruit.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 augusti.

LXXIII. Vi contractus mere civilis potest inter christianos constare veri nominis matrimonium; falsumque est, aut contractum matrimonii inter christianos semper esse sacramentum, aut nullum esse contractum, si sacramentum excludatur.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 augusti 1851.
Littera di S. S. PIO IX al Re di Sardegna. 9 septembris 1852.
Alloc. *Acerbissimum* 27 septembris 1852.
Alloc. *Multis gravibusque* 17 decembris 1860.

LXXIV. Causæ matrimoniales et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinent.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 augusti 1851.
Alloc. *Acerbissimum* 27 septembris 1852.

N. B. Huc facere possunt duo alii errores de clericorum cœlibatu abolendo et de statu matrimonii statui virginitatis anteferendo. Confodiuntur prior in epist. encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846, posterior, in litteris apost. *Multiplices inter* 10 junii 1851.

§ IX.

Errores de civili Romani Pontificis principatu.

LXXV. De temporalis regni cum spirituali compatibilitate disputant inter se christianæ et catholicæ Ecclesiæ filii.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 augusti 1851.

LXXVI. Abrogatio civilis imperii, quo Apostolica Sedes potitur, ad Ecclesiæ libertatem felicitatemque vel maxime conduceret.

Alloc. *Quibus quantisque* 20 aprilis 1849.

N. B. Præter hos errores explicite notatos, alii complures implicite reprobantur, proposita et asserta doctrina, quam catholici omnes firmissime retinere debeant, civili Romani Pontificis principatu. Ejusmodi doctrina luculenter traditur in alloc. *Quibus quantisque* 20 april. 1849 ; in alloc. *Si semper antea* 20 maii 1850 ; in litt. apost. *Cum catholica Ecclesia* 26 mart. 1860 ; in alloc. *Novos* 28 sept. 1860 ; in alloc. *Jamdudum* 18 mart. 1861 ; in alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

§ X.

Errores qui ad liberalismum hodiernum referuntur.

LXXVII. Ætate hac nostra non amplius expedit, religionem catholicam haberi tamquam unicam status religionem, cæteris quibuscumque cultibus exclusis.

Alloc. *Nemo vestrum* 26 julii 1855.

LXXVIII. Hinc laudabiliter in quibusdam catholici nominis regionibus lege cautum est, ut hominibus illuc immigrantibus liceat publicum proprii cujusque cultus exercitium habere.

Alloc. *Acerbissimum* 27 septembris 1852.

LXXIX. Enimvero falsum est, civilem cujusque cultus libertatem, itemque plenam potestatem omnibus attributam quaslibet opiniones cogitationesque palam publiceque manifestandi conducere ad populorum mores animosque facilius corrumpendos ac indifferentismi pestem propagandam.

Alloc. *Nunquam fore* 15 decembris 1856.

LXXX. Romanus Pontifex potest ac debet cum progressu, cum liberalismo et cum recenti civilitate sese reconciliare et componere.

Alloc. *Jamdudum cernimus* 18 martii 1861.

INDEX ET ORDO RERUM.

I. CONCILIUM

II. CONCILIUM

DECRETA :

III. CONCILIUM

DECRETA :

IV. CONCILIUM

DECRETA:

APPENDICES

APPENDIX AD PRIMUM.

APPENDIX AD SECUNDUM.

APPENDIX AD TERTIUM

APPENDIX AD QUARTUM.

ERRATA

—

Pag.	lin.	loco	lege
50	23	si	sive
63	13	*accesserint*....	*accenderint*
73	penult	....	omitte *et quæ contrahendi*
97	14	compositas	**composita**
142	18	impedire.........	**impediri**
176	10-11	prima Concilii........	**primo Concilio**
182	15	*infra*......................	***supra***
186	8	Successorum	**Successorem**
ibid	10	patrum....................	**patrem**
189	20	confutandos	**confutandas**
180	22	afferre......................	**offerre**
191	24	eos	**eas**
194	ult.	commissos.........	**commisso**
198	1	quoque.........	**jusque**
200	10	clarum	**clerum**
ibid	12	sui	**seu**
202	25	peccaverit	**peccaverint**
203	26	mutuatoriorum.	**mutuatoriarum**
204	22	et..............................	**ut**
ibid	28	XIV	**XVII**
205	3	permittitur	**promittitur**
ibid	3-4	pravamque...	**pravumque**
207	11	tamen	**non tamen**
ibid	15	involare	**convolare**
idid	21	indissolubilitatem	**indivisibilitatem**
208	23	quorum.......	**quarum**
209	20	ex qua.....................	**quo**
210	28	ergo	**erga**
225	21	....	**post *pietate*, adde *provenire; adeoque supplicarunt ut opportuna aliqua ratione***
269	19	sumo	**summo**
280	15	fire elapsa sunt sæcula ex guo abiit	**fere elapsa sunt sæcula ex quo obiit**
285	17	utque.....	**utpote**
287	26-27	nolitionibus......	**molitionibus**
290	28	alta.........	**alia**